STUDIA SYRIACA

FASCICULUS IV

DOCUMENTA

DE ANTIQUIS HAERESIBUS

PRIMO EDIDIT VERTIT PROLEGOMENIS ILLUSTRAVIT

IGNATIUS EPHRAEM II RAHMANI
PATRIARCHA ANTIOCHENUS
SYRORUM

TYPIS PATRIARCHALIBUS
IN SEMINARIO SCHARFENSI DE MONTE LIBANO
ANNO MCMIX

Tout droit réservé

Praefatio ad lectorem

Cum anni praeteriti hieme, muneris causa, nobis contigerit Romae commorari, duximus otii horas opportune impendendas in evolvendis perlegendisque apostolicae bibliothecae Vaticanae praestantissimis Syriacis manuscriptis. Quamvis enim viri eruditi solertem navaverint operam ad illa scripta recensenda, illustranda, atque ad delectos ex iis sive integros sive decerptos textus in publicum vulgandos latina interpretatione donatos, nihilominus plura adhuc alia insignia documenta recondita ibidem continentur, ex quorum editione multa lux rerum sacrarum disciplinis affulgere debet. Quantum itaque concessit tempus, selecta nonnulla documenta quae potissimum spectant ad argumenta scripturalia, patristica, agiologica, historica atque liturgica, partim nostra manu, partim instrumenti photographici ope expressa, ex praelaudatis codicibus exscripsimus, eo sane consilio, ut illa nostrae collectioni inscriptae "studia syriaca„ ex ordine insereremus.

Iamvero hic IV fasciculus eiusdem collectionis, qui modo in lucem prodit, complectitur quae sequuntur documenta de veteribus haeresibus:

I Mutilum initio et in fine anonymi auctoris opusculum tum de falsis religionibus ante Christi adventum, tum de haeresibus exortis post propagatam fidem christianam.

II — III Duae homiliae Severi monophysitarum patriarchae Antiocheni, quarum una ex cuiusdam haeretici nomine Romani opere nuncupato "scala„ suppeditat fragmenta, altera ex celebris Manetis libro "mysteriorum„.

IV Excerpta ex Philoxeni Mabbugensis episcopi scripto ad Patricium Edessenum de Adelphio sectae Messalianorum institutore, nec non de Assuana hymnographo Edesseno, qui "visionum„ cupidine hallucinatus misere interiit.

V Hymnus superstes memorati Assuanae.

VI Opusculum de haeresibus quod praefationi ad antiquam versionem Syriacam concilii Nicoeni insertum prostat.

Tandem veluti appendix enumeratis documentis adnectitur rarum fragmentum ex quodam Dositheo, qui coaevus erat Montano et Priscillae.

Horum itaque documentorum quorum, dumtaxat quartum ex parte, atque quintum attinent ad historiam rei litterariae Syrorum, coetera autem ad historiam haeresum priorum saeculornm, textum syriacum ad fidem codicum Vaticanorum, unde fuerunt extracti, in prima fasciculi parte accurate exhibuimus, in altera vero parte ad verbum latine expressimus. Lacunas quae reperiebantur in codicibus Vaticanis replevimus ex codicibus qui in oriente exstant, atque ex iis apposuimus suis locis variantes lectiones.

Interpretationi porro latinae ampla aliquantum prolegomena praefigenda elaboravimus, ubi post codices descriptos, indicatosque auctores singulorum documentorum, paulo latius de vetustioribus haeresibus, praesertim de quibus nonnisi rariores atque obscuriores hactenus legebantur notitiae, aut nihil amplius de iis praeter solum nomen cognoscebatur. Cum autem sectae Marcionitarum, Bardesanitarum, Cucitarum, Manichaeorum atque Audianorum potissimum invalescerent per Syriam atque Mesopotamiam, ex Syriacis praecipue scriptis eruenda testimonia studuimus, ut ex iis innotescerent earum origines, fundatores atque singularum falsae doctrinae.

Nominatim dein Manetis systema ex eiusdem libro mysteriorum exhibuimus, relatis insuper veterum auctorum eodem de argumento dictis. Quod systema ideo distinctius explanavimus, ut manifestum evadat basim quidem de duobus principiis sibi oppositis summo bono ac summo malo Manetem hausisse ex religione Zoroastri, doctrinam de aeternitate materiae ex graeca philosophia, elementorum pugnam prius inter se deinde adversus bonum ex Bardesane, alia deliramenta, uti de promanationibus divinis, gigantium procreatione etc. derivasse ex apocryphis libellis qui "apocalypses et acta" denominabantur

Prae ceteris fusius egimus de systemate celeberrimi Bardesanis auctoris sectae a suo nomine nuncupatae, quae praecipuam suam sedem habuit in urbe Edessa, quam ille uti patriam retinuit. Cum enim recentiorum aliqui eo devenerint, ut, ad purgandum Bardesanem ab omni macula haereseos, ausi sint temere tum ignorantiae tum etiam malae fidei notam inurere s. Ephraemo in iis quae de illo in suis hymnis aliisque scriptis retulit, operis esse pretium arbitrati sumus eiusdem s. Doctoris de illo haeresiarcha testimonia confirmare non solum ex s. Epiphanio aliisque pristinis scriptoribus, sed et ex ipsis verbis Bardesanis, prouti leguntur in op. "leges regionum„ vel in allegationibus a s. Ephremo prolatis, ex quibus concluditur eundem docuisse errores gnosticorum atque astrologorum.

Haec sunt quae praestitimus in vulgandis adnotandisque documentis de haeresibus, quae in hoc IV fasciculo studiorum syriacorum comprehenduntur.

Ex dictis elucet addictos disciplinae historiae ecclesiasticae reperire in nostra ista elucubratione nova argumenta ad dirimendas nonnullas inter doctos viros agitatas controversias de haeresibus priorum temporum. Reperient et in eodem fasciculo studiosi litteraturae syriacae novum hymnographum qui brevi tempore ante s. Ephraemum floruit, cuiusque hymnum ex codicibus liturgicis quibus hodiernam in diem ecclesia Syrorum utitur, publici fecimus iuris.

Coeterum perspicuum est ex detectis revelatisque falsis doctrinis, fabulosis theoriis, ac deridendis commentis recensitarum sectarum plenius luculentiusque apparere veritatem fidei catholicae.

Neque supervacaneum est animadvertere, quemadmodum v. g. Cerinthiana haeresis occasionem praebuit s. Ioanni apostolo ut scriberet suum Evangelium ad divinitatem Iesu proclamandam (Eus. h. e. VI, 14), sic alias haereses exstitisse causam cur patres doctoresque insignia volumina christianae sapientiae posteritati relegarent. In quibus equidem praeclaris scriptis dum perversas doctrinas oppugnant confutantque, dogmata catholica consolidant, prolatis in medium textibus scripturalibus, quos egregie explanant, adductisque

invictis argumentis ex traditione atque consuetudine ecclesiarum. Praedicta tamen illa patrum scripta adversus errores nequeunt facile intelligi, nisi iam prorsus perspecta habeantur haeresum quas refellunt opinamenta.

Neque abs re erit ultimo loco obiter notare duas Severi editas homilias, quamvis monophysitam habeant auctorem, prodere undique rectam prorsus doctrinam. Solide equidem ipse disputat adversus asserentes peccatum naturae insitum nec non Arianos et Manichaeos, atque textus s. Scripturae orthodoxe explicat iuxta ecclesiae mentem ac traditionem : nominatim vero illud Io. II 4 "quid est mihi et tibi ?„ praeclare commentatur.

Beryti mense iunio an. 1909

Index

Praefatio ad lectorem V

Prolegomena IX

1 Opusculum anonymi de haeresibus „

2 Homilia CXIX Severi Antiocheni, ubi disputatur adversus Romanum hareticum auctorem libri "scala„ cuius quaedam fragmenta proferuntur X

3 Homilia CXXIII Severi Antiocheni, ubi praecipue disputatur adversus Manetem, ex cuius scriptis mysticis proferuntur quaedam fragmenta XIII

4 Expenditur systema doctrinae Manetis ex fragmentis ex eiusdem scriptis a Severo productis, instituta collatione cum aliis documentis Manichaeorum XV

5 Inventor sectae Messalianorum XXV

6 Assuana hymnographus XXVII

7 Hymnus Assuanae „

8 Opusculum tractatus de haeresibus XXIX

Interpretatio latina

I Fragmentum anonymi de haeresibus 1

II Severi Antiocheni homilia CXIX 5

III Eiusdem Severi homilia CXXIII, catechesis vero VI 38

IV Interrogationes monachi Edesseni Patricii ad sanctum Mar Philoxenum directae 70

V Hymnus Assuanae 74

VI Tractatus de haeresibus 76

Appendix 81

Prolegomena

Quae hoc in IV fasciculo studiorum syriacorum ex codicibus in publicam edimus lucem documenta de haeresibus, sex enumerantur, quibus in appendice vetustissimum fragmentum adiungitur Dosithei qui coaevus erat Montano et Priscillae haereticis.

In distinctis capitulis de singulis pauca sunt adnotanda.

I Opusculum anonymi de haeresibus

Quod primo loco in nostro fasciculo prodit documentum consistit in duobus tantum foliis agglutinatis initio codicis syriaci bibliothecae Vaticanae signati numero 190 : desideratur opusculi principium et continuatio. Codicis autem scriptura, in qua hic inde nonnulla vocabula obliterata occurrunt, videtur saeculo IX vel X referenda.

Mutilus porro iste libellus agit initio de erroribus Chaldaeorum seu de astrologia, deinde de religione Zoroastri, quae per regiones orientis praesertim praevaluit (1). Exhinc transit ad recensendas haereses, quae pullularunt

---

(1) Barhadbeshabba Arabs (ܒܪ ܚܕ ܒܫܒܐ ܥܪܒܝܐ) auctor nestorianus qui circa finem saec. VI vivebat in suo opere de scholis ܥܠܬܐ ܕܐܬܬܐ ܕܣܝܡ ܡܘܬܒܐ ܕܐܣܟܘ̈ܠܣ, cuius exemplar exstat in bibliotheca nostra, haec consignat de eadem religione : "Zoroaster magus Persa tempore Hystaspi regis instituit quoque scholam, coegitque multos, qui eius errores receperunt. Ipsos siquidem edocebat quatuor eodem ordine existere deos, Ashokar, Phrashokar, Zarokar et Zeron (Zervan) : quorum cum meminit, minime ostendit gesta operationesque. Deinde asseruit duos alios esse deos, quorum unum Hormizdam alterum Ahriman dixit, aitque ambos a Zeron generatos, unum tamen esse bonum perfectum, Ahriman vero malum absolutum, ipsosque fecisse

post adventum Christi, eiusque ascensionem in coelos, inde ab haeresi Simonis magi, cui subiungit expositionem de secta Marcionis, cuius, ob deficientem codicem, nonnisi brevis pars remansit.

2 Homilia XIX Severi Antiocheni, ubi disputatur adversus Romanum haereticum auctorem libri "Scala„ cuius quaedam fragmenta proferuntur

Alterum documentum, quod constituit homilia CXIX Severi Monophysitarum patriarchae Antiocheni super miraculum a Christo Domino in nuptiis Canae editum (Io. II), nec non adversus haereticum quemdam nomine Romanum, suppeditavit codex syriacus Vaticanus 143 in quo Severi (1) continentur homiliae cathedrales seu epithroniae CIII — CXXV. Idem codex dicitur absolutus anno graecorum 874 (Christi 563) diebus Georgii abbatis coenobii

---

universum hunc mundum, bonum quidem bonos, malum vero malos. Insuper ait alios existere XXIV deos, ita ut (divinitatum) totalis grex sit triginta iuxta dierum mensium numerum. Docuit quoque minime esse mactanda animalia, propterea quod iisdem inest Hormizdas. Ait etiam oportere ut filius (in uxores) ducat suam matrem, filiam et sororem. Neque permittit ut defuncti sepeliantur, sed foras proiiciendi sunt, ut a vulturibus corrodantur„. ܥܒܕ ܠܗܘܢ ܒܢܘܡܘܣܐ ܕܐܒܣܬܐ ܐܦ ܙܪܕܘܫܬ ܡܓܘܫܐ ܦܪܣܝܐ.
ܒܠܒܘܗ ܕܟܠܡܣܩ ܡܠܟܐ ܘܒܪܗ ܒܢܘܡ̈ܣܐ ܦܬܓܡܐ ܕܡܠܠ ܥܠܘܗܝ. ܟܕ ܐܡܪ ܕܠܟܠ
ܐܝܟ ܕܣܝܡ ܡܫܡܫܢܐ ܐܪܒܥܐ ܠܐܠܗ̈ܐ. ܐܫܘܩܪ. ܘܦܪܫܘܩܪ. ܘܙܪܘܩܪ. ܘܙܪܘܢ. ܒܪ̈ܒܢܝܢ
ܘܠܐ ܣܓܝ ܥܒ̇ܕܝܗܘܢ ܘܦܘܠܚܢܗܘܢ. ܘܥܒܕܘܗܝ ܐܡܪ ܠܐܪܒܥ ܐܣܛܘܟܣܝܢ. ܘܥܒܕ ܗܕܐ ܗܘܪܡܝܙܕ.
ܘܠܡܢܬܐ ܐܗܪܡܢ. ܘܐܡܪ ܕܡܢ ܙܪܘܢ ܐܬܝܠܕܘ ܬܪ̈ܝܗܘܢ. ܘܡܕ ܒܪܐ ܥܠܡܐ ܗܘ ܫܡܝܢܐ.
ܘܐܡܪ ܕܒܪܘ ܟܠܗ ܥܠܡܐ. ܗܢܘܢ ܒܛܒܘ ܛܒܐ ܕܛܒܐ ܗܘ : ܛܒܐ ܛܒ̈ܐ. ܘܒܝܫܐ ܒܝܫ̈ܐ.
ܘܥܠܘܗܝ ܐܡܪ ܕܐܝܬ ܐܚܪ̈ܢܐ ܕܗܘܝܢ ܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥܐ ܐܠܗܝܢ ܐܝܟ ܕܢܗܘܐ (ܐܠܗܘܬܐ) ܕܬܠܬܝܢ.
ܘܐܡܪ ܕܠܐ ܙܕܩ ܠܡܕܒܚ ܚܝܘܬܐ. ܡܛܠ ܕܗܘܪܡܝܙܕ ܐܝܬ ܒܗܘܢ. ܘܐܡܪ ܕܢܣܒ ܠܐܡܐ ܒܪܐ
ܠܡܣܒ ܐܡܗ ܘܒܪܬܗ ܘܚܬܗ ܠܢܫ̈ܐ. ܘܡܝܬ̈ܐ ܠܐ ܡܦܣ ܠܡܩܒܪܘ. ܐܠܐ ܕܠܒܪ
ܢܬܪܡܘܢ ܐܝܟ ܕܢܬܒܙܙܘܢ ܡܢ ܦܪ̈ܚܬܐ.

(1) Severus pronuntiavit Antiochiae CXXV homilias ab an. 512 usque ad an. 518.

Mar Ioannis oppidi Nerab prope Aleppum (1). Perantiqua porro ista homiliarum Severi syriaca interpretatio diversa est ab illa quam Iacobus Edessenus absolvit anno 701 Christi (2). Cuinam autem tribuenda sit nostra versio auctori haud liquet. Siquidem nequit is esse Athanasius presbyter Nisibenus (ܩܫܝܫܐ ܐܬܢܣܝܘܣ ܢܨܝܒܝܢܝܐ), qui in epigraphe (3) codicis Lond. addit. 12, 181 dicitur ex graeco in syriacum epistolas eiusdem Severi vertisse anno 980 graec. (Christi 669), et in alia epigraphe cuiusdem codicis qui asservatur in bibliotheca ecclesiae Chaldaeorum in urbe Amida indicatur eundem syriace interpretatum esse "tractatus Severi ad Nephalium„ (4). Verisimile tamen est primum interpretem homiliarum Severi ex graeco in syriacum fuisse Paulum episcopum Callinici, qui anno Christi 528 cum Edessae degeret, syriace reddidit eiusdem Severi plura scripta praesertim vero disputationes adversus Iulianum Halicarnassi de incorruptibilitate corporis Christi (5).

Quibus praemissis, breviter dicendum est de argumento homiliae, quam publici iuris facimus. Iamvero, arrepta occasione evangelicae lectionis diei, Severus concionem ad populum habens de nuptiali convivio Canae cui cum matre discipulisque adfuit Christus, et in quo patravit miraculum commutationis aquae in vinum, laudibus effert quidem virginitatem, sed connubii honestatem sanctitatemque simul tuetur. Deinde invicte confutat infamem illum nomine Romanum auctorem scripti cui titulus est "Scala„, cuius plura fragmenta ipsis eiusdem verbis profert, in quibus Ioannis caput II improbe interpretando, sacraeque Scripturae alia loca perverse commentando, varias

---

(1) Eiusdem abbatis coenobii Mar Ioannis Nerab mentio legitur in epigraphe codicis Londinensis addit. 14, 597 (wright cat. of. syr. manusc. p. 651).

(2) Cf. Assemani B. O. T. I p. 494

(3) Cf. wright catal. of. syr. manus. p. 558.

(4) ܫܠܡ ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܐܬܐ ܕܥܒܕ ܣܘܐܪܐ ܦܬܓܡ̈ܐ ܕܐܦܘܠܘܓܝܐ ܕܠܘܬ ܢܦܠܝܘܣ .
ܘܦܫܩܗ ܕܝܢ ܡܢ ܝܘܢܝܐ ܠܣܘܪܝܝܐ ܩܫܝܫܐ ܐܬܢܣܝܘܣ ܢܨܝܒܝܢܝܐ .

(5) Cf. Assemani B. O. T. II p. 46

impias sententias de Christo eiusque matre ausus est exprimere, turpes theorias de Adamo et Heva, de Ioanne baptista etc. imprudenter effingere, connubium asserere impurum prolisque procreationem immundam, statuens, veluti fallacium suarum doctrinarum fundamentum, duplex esse peccatum distinguendum, alterum naturale quod naturae nempe inhaeret, alterum autem voluntarium. Testatur porro Severus praefatum librum cui titulus "Scala„ fuisse pervulgatum Antiochiae, eiusque dicta declarat esse tenoris daemoniaci, blasphemias redolentia, vetularum fabulis plena, quae ad obscoenitatem Manichaeorum et Messalianorum adducunt. Nihilominus haud constat utrum ille Romanus exstiterit coaevus Severo, nec cognoscitur cuius fuerit dignitatis. Neque dici potest de illo agi apud Michelem patriarcham Iacobitarum, qui in chron. l. VIII c. 27 refert Severum tractatus edidisse adversus Iulianum Halicarnassi, Felicissimum et Romanum, cum ibidem sermo sit de haereticis phantasiastis (1). E contra Romanus iste, quem impugnat in nostra homilia Severus, sectator dicendus est haeresis cuius facit mentionem chronicon Edessenum hisce verbis: "Anno 739 (Christi 428) innotuit haeresis asserentium peccatum insitum esse naturae„ (2).

Idem Severus in homilia 124 quae exstat in eodem cod. Vatic. 143 depromit aliud fragmentum ex libro Scalae Romani quem hisce verbis designat: "Romanus qui perimprobam Scalam sicuti fur nocturnus super humeros tollit„ (3).

---

(1) [illegible]

(2) Edit. Guidi p. 6 [illegible]

(3) Cod. Vat. 143 f. 168 v. [illegible]

3 Homilia CXXIII Severi Antiocheni, ubi praecipue disputatur adversus Manetem, ex cuius scriptis mysticis proferuntur quaedam fragmenta

Tertium documentum subiungimus ex eodem codice syr. Vat. 143, a quo deprompsimus documentum secundum (vid. sup. p. X), consistitque in homilia CXXIII eiusdem Severi Antiocheni, in cuius parte prima exponit argumentisque probat fidei orthodoxae professionem in Trinitatem atque Incarnationem, in altera vero alte redarguit Manetem coriphaeum sectae ab eo denominatae, profertque ex uno ex eiusdem mysticis scriptis non pauca fragmenta quae refellit.

Plura autem ibidem notatu digna sunt :

1 Ista homilia ideo inscribitur "catecheseos VI„ quia Severus, uti in ipso exordio significat, ex antiqua disciplina illam habebat ad audientes seu catechumenos qui baptizandi erant in vigilia dominicae resurrectionis. Quod clarius innotescit ex eiusdem homiliae XC inscriptione, quae prostat in vetustissimo codice syr. Vatic. 142 exarato anno Christi 576 f. 72 hisce verbis : "Homilia XC : auditio instititutionis catecheticae de more pro baptizandis die perinsigni resurrectionis, quae est catechesis IV„ (1). Exinde non immerito colligitur initio saec. VI in ecclesia Antiochena adhuc viguisse disciplinam catechumenatus, quin tamen constet utrum breviori temporis spatio absolvebatur.

2 Ea aetate Antiochiae reperiebantur Ariani nec non Manichaei, quorum nonnulli conabantur nefandos illius sectae errores propagare inter fideles, praesertim vero inter mulieres quae facile incidunt in illorum laqueos (Vid. infra p. 69)

---

(1) ܡܐܡܪܐ ܕܬܫܥܝܢ . ܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܬܘܠܡܕܐ ܐܝܟ ܥܝܕܐ ܡܛܠ ܐܠܝܢ ܕܡܬܥܡܕܝܢ ܒܥܐܕܐ ܡܫܒܚܐ ܗܘ ܕܩܝܡܬܐ . ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܐܪܒܥ .

3 Ritus hodie praescriptus apud Syros aliosque orientales, ut baptizandus ad abrenuntiationem satanae se vertat versus occidentem, atque ad emissionem professionis fidei in Christum Dominum se convertat ad orientem (1), iam obtinebat in ecclesia Antiochena tempore Severi, uti indicatur in peroratione eiusdem homiliae CXXIII (vid. infra p. 69).

In homilia autem CXIX testatur idem Severus usum suae ecclesiae baptizandi trina immersione sub trina invocatione Trinitatis. (vid. inf. p. 35).

4 Cum homiliae Severi abundent locis ex s. Scriptura productis, maximae utilitatis habendae sunt etiam hoc sub aspectu, nimirum ad dignoscendum textum librorum sacrorum in usu ecclesiae Antiochenae illo tempore.

5 Praeter testimonia ex s. Scriptura profert Severus in hom. CXIX plures allegationes ex s. patribus, nominatim ex Io. Chyrsostomo, Gregorio Theologo et Cyrillo, quas cum textu graeco adamussim concordantes et nonnunquam accuratiorem lectionem praeseferentes comperimus.

6 In eadem homilia recitat canonem XLVIII quem dicit pervulgatum per sanctas ecclesias (vid. infr. p. 18). Attamen haud facile detegitur undenam praefatus canon fuerit desumptus.

---

(1) Cf. Denzinger rit. orient. T. 1 p. 273. Idem ritus praescribitur ab ecclesia Alexandrina, ibid. p. 198; nec non in ritu byzantino.

4 Expenditur systema doctrinae Manetis ex fragmentis ex eiusdem scriptis a Severo productis, instituta collatione cum aliis documentis Manichaeorum

Ex quatuor, quae edidit Manes nefarius haeresiarcha (1) scriptis, servavit nobis Severus tum praefationem (vid . infra p . 57), tum alia plurima fragmenta illius libelli, qui inscribitur "Mysteriorum„ quique, teste s . Epiphanio (adversus haereses II, 13) in viginti duas partes alphabetico ordine distribuebatur . In eadem dein homilia Manes a Severo dicitur "scriptor impius„ (58) "plene amens„ (59), "mysticus foedusque auctor, coriphaeus insipientium, dux expeditus Manichaeorum, princeps doctrinarum obscoenarum, legislator impietatis auctorque fabularum senilium„ (60) .

Haec est porro summa systematis Manetis, uti ex adductis fragmentis colligitur :

I Duo inducuntur principia absque initio increata seu ingenita, quorum unum est bonum, alterum malum, quae inter se (2) minime communicant.

---

(1) Praestat hic notare loca nonnulla ex s . Ephraemi scriptis, ubi alluditur ad sensum nominis proprii Manetis, commemoratur eius patria, neque obscure indicatur unde is hauserit suos errores. In hym . itaque 2 adversus errores (edit . Rom . T . II p . 440) satis clare innuit nomen Manes ܡܢܝ vel ܡܐܢܝ derivari ex vocab . syr . ܡܐܢܐ quod significat "indumentum„ . In hym . 14 (ibid . p . 468) eum oriundum affirmat ex Babylone. In hym . 7 (ibid . p . 455) declarat ipsum credidisse commenta heroum atque chaldaeorum. Addit in hym . 14 (ib . p. 468) eum ex graecis didicisse theoriam de "materia deformi„ , et subiungit ipsum invasisse mendacia promanatia ex India . Tandem in epist. ad Hypatium (edit . Overbeck p . 63) ait Bardesanem exstitisse magistrum Manetis . Porro chron . Edess . (edit . Guidi p . 3) ad an . 551 (Chr . 240) consignat natalem Manetis .

(2) Cf . s . Epiphanium advers . haeres . haer . 76 n . 14

(Vid. infra p. 50). Principium bonum nominat Manes naturam benedictam (p. 58); lucem (50), aut lucem mirandam ac splendidissimam (57); intellectum principem (61); deum (57), aut deum solum bonum (61), aut deum fortem et heroem (57) aut deum in omnibus et super omnia (58). Principium vero malum seu pravum sua natura denominat materiam (50) aut materiam efficientem corruptionem (57); caliginem (50) vel materiam caliginosam (57). Porro ex loco Math. VIII, 17 quo idem haeresiarcha in epistola ad Marcellum (1) abuititur, principium bonum appellat arborem bonam vel arborem vitae (51, 52), quae habet fructus (52), quos vocat sanctos (58), quibus obtegitur, quosque per se sepit (52). Principium vero malum appellat arborem malam (52, 54, 55), quae nihil boni penitus facit (56); arborem caliginis (57); arborem mortis (56) cui minime inest vita, neque fructus bonus (53).

Praeterea principium bonum simile dicit regi in sua regia (51), principium autem malum aequiparat sui qui in luto volutatur, alitur recreaturque foetore, vel serpenti qui insidiatur in latebris (51).

Deinde bono principio tribuit gloriam (53), bonitatem (52, 53, 54, 55, 61), magnificentiam (53), iustitiam (53), invisibilitatem principio malo (52) : principio e contra malo bellum, atrocitatem (56), insipientiam (57) et rabiem (58) adscribit.

II Quamvis autem asserat principium bonum esse infinitum vel indefinitum, nihilominus ipsi tamquam sedem seu locum domini, ubi is prehendi nequit, assignat septentrionem extra et infra, orientem et occidentem supra et infra, additque nihil infra dari cavum (52) : atque illum locum dicit excelsum (57), terram lucis (58), terram gloriosam lucis (57), locum liberum (ib.), mundum vel mundos lucis (57, 58, 61) mundos benedictos (57). Fingit porro mundum lucis habuisse fines seu limites suos (57, 59). Insuper ait deum locum suum clausisse muro ad se custodiendum, seu ad semet inter includen-

(1) Apud Epiph. l. c. n. 6

dum (53, 54). Tandem declarat in illo mundo lucis minime adesse ignem comburentem qui iniiciatur super malum, neque ferrum abscindens, neque aquas suffocantes, neque quidquid aliud malum hisce simile (58). Principio autem malo sedem finibus determinatam assignat australem regionem, aut inter australem et orientalem (52, 53, 55).

Hisce consona comperimus dumtaxat apud auctorem biographiae Manetis, quae legitur in chron. Michaelis Patriarchae Iacobitarum l. VII c. 4, ubi dicitur : "deus bonus tenet loca orientalia, septentrionalia, occidentalia et excelsa, alter vero, qui est materia, quemque (Manes) nominat malum, tenet inferiora atque australia„ (1). Quae autem apud Theodorum bar Khuni (2) dicuntur "quinque dei boni mansiones (ܡܘܬܒ̈ܐ)„, appellantur in actis Archelai "quinque nomina animae„ (3), et in Kitab - el - Fihrist "membra dei„ (4), et in chron. arabico Agapii filii Constatini - el - Manbigi "quinque sensus ipsius„ (5): potius attributa dicenda sunt dei (6).

III In fragmentis libri mysteriorum materia dicitur "polyprosopa„, membraque materiae cum eius spiritibus recensentur ibidem (7) : "turbo, aqua, ignis,

---

(1) (ܐܠܗܐ ܛܒܐ) ܐܚܝܕ ܠܐܬܪܘܬܐ ܡܕܢܚܝܬܐ ܘܓܪ̈ܒܝܝܬܐ ܘܡܥܪ̈ܒܝܬܐ ܘܪ̈ܘܡܐ. ܘܐܚܪܢܐ ܠܡ ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘܠܐ ܕܡܫܡܗ ܠܗ ܒܝܫܬܐ ܐܚܝܕ ܠܐܬܪܘܬܐ ܬܚܬܝܬܐ ܘܬܝܡܢܝܬܐ

(2) Cf. Theodorum bar Khuni edit. Pognon p. 127

(3) Apud Epiphan. haeres. 66 n. 28 (Migne P. G. T. XLII p. 75)

(4) Edit. Fliigel p. 86 not. 69

(5) Cf. cod. Sharf. ان خمس حواسه كانت ثابتة عنده وهي العقل والفكر والذهن والرأي والرويه

(6) Auctor biographiae Bardesanis, quam exscripsit in suo chron. Michael patriarcha Iacobitarum refert illum declinasse ad doctrinam Valentini et docuisse quatuor entia, nempe rationem, vim, mentem et intellectum. Bar - Khuni autem ait eum quinque entia professum fuisse.

(7) Exinde apparet nequaquam cum hisce adamussim concordare quae leguntur apud Theodorum bar Khuni, Kitab - el - Fihrist et El - Menbigi (locis nuper citatis) quinque esse principis tenebrarum saecula seu aiones. Cf. s. Aug. contra epist. fundam. c. 15.

daemones, spectra, principes et virtutes malae (57). Porro quaedam eiusdem materiae membra dicuntur gerere corpora dura, quorum magnitudo est infinita, et quaedam incorporea et intangibilia, uti daemones et spectra (ibid.) Similiter in allatis fragmentis asserit Manes arborem dividi in plures partes quas dicit arbores omni pravitate repletas vel ramos (53) vel fructus aut membra mortis (56, 57), quae sunt acies daemonum, virtutum adversariarum (58). Insuper addit eadem illa membra minime semet invicem novisse, eaque fuisse destituta sensu, et quodvis eorum nihil amplius quam suum sonum cognovisse, et nonnisi quod erat ob suos oculos intuitum fuisse (57). Tandem ait arborem malam fuisse ab initio divisam adversus suos fructus, fructusque adversus arborem, quae peperit eos (56), concluditque omnes fructus malos plasmasse cariem ad destruendum suum locum (56).

IV Antequam principium malum cum acie suorum membrorum seu virtutum adversus bonum principium insurgeret, ait Manes illa membra concitasse tumultum tum contra arborem quae ipsa genuit tum contra semetipsa invicem eademque sponte cariem fixisse ad se mutuo destruenda, conficienda atque interimenda (56). Ex agitatione itaque membrorum adversus arborem matrem et adversus semetipsa evenit ut impetu concitata ab imo egrederentur membra versus fines terrae lucis (57).

V Acta equidem Archelai aliaque ex Manetis scriptis fragmenta ab Epiphanio, Augustino aliisque scriptoribus nobis servata silent de seditione membrorum materiae inter se : eius tamen meminit auctor biographiae Manetis apud Michaelem patriarcham Iacobitarum l. c. hisce verbis (1) : "Materia autem concitata, insurrexerunt eius progenies adversus invicem, daemones nempe, ignis, aqua et idola : cumque sese abigerent atque abigerentur pervenerunt usque ad coelum, locum lucis„.

---

(1) ܗܝ ܕܝܢ ܗܘܠܐ ܟܕ ܐܬܬܙܝܥܬ. ܩܡܘ ܒܢܝ̈ܗ ܠܩܘܒܠ ܚܕ̈ܕܐ: ܫܐܕ̈ܐ ܢܘܪܐ ܘܡܝ̈ܐ ܘܦܬܟܪ̈ܐ. ܘܟܕ ܪܕܦܝܢ ܗܘܘ ܘܡܬܪܕܦܝܢ ܥܡ ܚܕ̈ܕܐ ܡܛܘ ܥܕܡܐ ܠܫܡܝܐ ܐܬܪܐ ܕܢܘܗܪܐ

VI Porro cum illa membra materiae intuita sunt lucis mirandae aspectum, ipsius decorem splendidissimum cupierunt (54), ideoque sese congregarunt, consiliumque inierunt se immiscendi luci illi, et hinc excupierunt ascendere ad excelsum locum. Quare cuncta membra induta igne materiae se extollentia ascenderunt cum multis innumeris virtutibus, quaesieruntque modum quo se insererent luci (57).

VII In bello isto a principio malo suscepto adversus deum, Manes victoriam tribuit materiae. Ait enim : quoniam deus qui habitat terram lucis absterritus illa insurrectione, ad vitanda mala, necessitate compulsus eo devenit, ut ad complendam cupidinem materiae, eiusque rabiem cohibendam abscideret particulam aliqualem ex sua luce et infra demitteret, quae particula commixta est malis (61). Cuius immissionis particulae lucis exitus fuit ut bono pax esset, eiusque natura exempta custodiretur ab igne materiae atque a carie corruptrice, hostesque (i. e. membra materiae) per immixtionem caperentur atque ab impetu supersederent (57). Notandum insuper est membra materiae postquam commixta est iis particula lucis dici ibidem "lucida ob virtutem ipsis immixtam„ (58).

Hisce similia tradit auctor biographiae Manetis apud Michaelem patr. Iacob. l. c. cum dicit : "Cupiebant (progenies materiae) immiscere suam caliginem luci et bono : ast deus illos videns eosdem sistere fecit ibidem parumque tollens ex luce iniecit versus materiam, quae illam sorbuit eidemque fuit alligata„ (1).

Iamvero quae fragmenta libri mysteriorum narrant, uti supra, de concitato a materia suisque virtutibus bello adversus bonum, in quo eadem ita praevaluit ut particulam lucis, quam deus a se abscindens inferius deiecit, arripiens absorpserit devictamque in se retinuerit (53), acta Archelai aliaque Manichaeo-

---

(1) ܨܒܝܢ ܗܘܘ ܕܢܚܠܛܘܢ ܚܫܘܟܘܬܗܘܢ ܒܢܘܗܪܐ ܘܒܛܒܬܐ . ܟܕ ܕܝܢ ܚܙܐ ܐܠܗܐ ܐܢܘܢ ܐܩܝܡ ܐܢܘܢ ܬܡܢ . ܘܫܩܠ ܩܠܝܠ ܡܢ ܢܘܗܪܐ ܘܫܕܐ ܠܘܬ ܗܘܠܐ . ܘܗܝ ܒܠܥܬܗ ܘܐܬܐܣܪܬ· ܒܗ

rum documenta paulo aliter evolvunt. Aiunt siquidem "patrem illum bonum„ a se ipso edidisse vim, quae appellata est "mater viventium„, eandemque edidisse "primum hominem„, qui cum suis quinque elementis quibus indutus est tamquam ad bellicum apparatum, inferius delapsus est; tenebrarumque principes, qui cum eo decertabant, aliquid ex ipsius luce absorpsisse, ita ut primus homo exinde fuerit in locis inferioribus vexatus; deinde patrem exaudisse eundem primum hominem orantem, atque alteram a se productam vim nomine "spiritum vitae„ misisse, quae porrexit dexteram primo homini eumque e tenebris eduxit (1).

Videtur Manes in suum systema invexisse "matrem vitae, quae edidit primum hominem„ ex doctrina Bardesanis, qui dicitur affirmasse "matrem vitae congredi cum patre vitae et gignere septem filios„ (2).

VIII In adductis a Severo Manichaeis fragmentis hisce verbis commemoratur opus creationis mundi, cuius pars est homo : "Ipsa particula lucis, quae immixta fuit materiae, causam praebuit cur mundus crearetur, ex eo quod deus propter immixtionem istam cum malo coactus fuerit ad facienda omnia„ (63).

Etsi porro ibidem haud continetur descriptio creationis singularum rerum, i. e. coeli et terrae, siderum, plantarum, animalium atque hominis, nihilominus satis aperte ibi innuitur corpora quae in mundo existunt fuisse confecta ex materiae membris, quae dicuntur "archontes„; lucem vero quae in iisdem includitur, seu animam animalium, spiritumque qui hominibus inest a principio derivare bono. Hinc Severus affirmat quod Manichaei "a principio materiae increatae dicant se factos fuisse, cum illam faciant opificem„ (52).

Imo, iuxta Manetis systema etiam plantis, arboribus aliisque rebus inani-

---

(1) Cf. Acta Archelai apud Epiph. haeres. 66 n. 29; Aug. contra Faust. XIII, 18, XX, 9; Theod. bar Khuni edit. Pognon 127 et seq.

(2) In biographia Bardesanis, apud Mich. patr. Iacob. l. c. Praeterea ex Theod. bar Khuni edit. Pognon 144 etiam Cucitae fingebant "matrem vitae„. Cf. etiam Iren. I, 30.

matis inest intime particula lucis seu divinitatis. (vid. infr. p. 77)

Porro auctor biographiae Manetis apud Michaelem patr. sic refert creationem hominis "Quare deus coactus fuit ut mundum crearet; atque Adamum et Hevam ex Sacla principe materiae dicunt extitisse et ex Nabroel; dicunt quoque solem et lunam esse naves, quae suscipiunt animas hominum ac omne bonum immixtum materiae evehuntque ad locum lucis„ (1)

In act. vero Archelai aliisque documentis perhibentur Manichaei fingere "spiritum vitae„ confecisse prius coelum quidem ex pelle principum tenebrarum (2), vel ex serpentis exuviis (3), terram vero ex corpore eorundem (4), exhinc confecisse solem et lunam quas nominat naves, stellasque ex luce eliquata vel ex bona aqua atque bono igne (5), dein subdunt plantas arboresque crevisse ex membris maculatis materiae, in earumque formis deum alligari (6), postea ridiculo ac obscoeno modo comminiscuntur ex abortivis foetibus principum tenebrarum delapsis super terram animalia universa nata esse (7); atque

(1) ܡܛܠܗܕܐ ܟܕ ܐܠܝܨ ܐܠܗܐ ܕܢܥܒܕܝܘܗܝ ܠܥܠܡܐ. ܘܐܕܡ ܘܚܘܐ ܡܢ ܣܩܠܐ ܪܫܐ ܕܗܘܠܐ
ܕܗܘܘ ܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܘܡܢ ܢܒܪܘܐܝܠ. ܫܡܫܐ ܘܣܗܪܐ ܠܐܠܦܐ ܐܡܪܝܢ ܕܐܝܬܝܗܘܢ
ܕܢܩܦܝܢ ܒܢܦܫܬܐ ܕܒܢܝܢܫܐ ܘܟܠܗ ܛܒܬܐ ܕܐܬܚܠܛܬ· ܒܗܘܠܐ ܡܥܒܪܝܢ ܠܐܬܪܐ ܕܢܘܗܪܐ

(2) Cf. Epiph. haer. 66 n. 32

(3) s. Ephr. in epist. ad Hypatium edit. Overbeck p. 65 seqq.

(4) s. Aug. contra Faust. XX, 9.

(5) Aug. de haeres. 46

(6) Aug. cont. Faust. XXIV, 2 Cf. etiam Ephr. epist. ad Hypat. edit. Overbeck p. 66

(7) Aug. cont. Faust. VI, 8; de morib. Manich. II, 9, 14, 61

Porro ad risum movent Manichaei in indicanda causa tonitruum fulgurumque apud s. Ephr. hym. 50 adversus errores (edit. Rom. T. II, 548) ܒܪ̈ܥܡܐ ܘܒܪ̈ܩܐ
ܠܘܬ ܡܪܓܙܝܢ ܠܩܕܝܫܐ ܕܐܡܪܝܢ ܕܗܠܝܢ ܩܠܐ ܗܘ ܚܡܝܡܐ ܕܐܪܟܘܢܛܐ ܕܒܬܘܠܬܐ ܚܙܐ
"Tonitribus et fulgoribus ad iram provocant Sanctum (deum), cum dicunt illa esse vocem libidinosam archontis adspicientis virginem„. Cf. Archl. c. 9; Epiph. haeres. 66, n. 32 etc.

tandem aiunt Adamum et Hevam productos ex matre Nebroel et patre Ashcalon principe daemonum (1) qui a graecis dicitur Sacla.

IX Immixta porro lucis particula variis materiae membris in quibus tanquam in carceribus alligatur debet eliquari donec pura evadat (2). Materia autem desinet in abolitionem (vid. infra 58, 62).

X Eo porro tendunt conatus Manetis ut dominatum tribuat principio malo, quo sibi proponit ostendere haud esse reprobandum peccatum utpote quod materia sit quae cogat ad peccandum, quae materia, ait, fingit cariem absumentem (62).

Hisce expositis, facile explicantur coetera dogmata Manichaeorum atque usus :

1 Cum corpora putantur ex substantia archontum confecta, prohibentur apud Manichaeos perfecti, qui et dicuntur "electi„ a mactandis animalibus et ab edendis carnibus occisis vel mortuis, cum iam per necem vel mortem anima seu pars substantiae bonae ex iis aufugerit. (Cf. Aug. de haeres. 46).

Neque vinum bibunt quod dicunt fel esse archontum. (ibid.)

Eadem de causa et condemnant nuptias, maxime autem prolis generationem. (ibid. l. c.)

Aliis riduculis modis explicant causas pluviae, stillicidii et nivis. Cf. act. Archel. apud Epiph. haeres. 66; s. Ephr. epist. ad Hypatium (edit. Overbeck p. 65 seq.)

(1) Aug. de haeres. 46

(2) Epiph. haeres. 66 (Migne P. G. T. XLII p. 67)

"Docet... animas... ad lunarem orbem evehi, cum lucida sit animae natura ... deinde a luna tamquam minore navigio eosdem exonerari putat, et intra solem recipi, atque in aevum beatorum exponi„. Cf. de purgatione epist. s. Ephraemi ad Hypatium etc. (edit. Overbeck p. 68 seqq.)

Item et inficiantur corporum resurrectionem. (Cf. biograph. Manet. apud Michael. patr.)

2 Ex eo quod credant animas esse particulas lucidas dei in corporibus tamquam in carceribus alligatas, ut purgentur, attollanturque exhinc ad lunam et solem, et postea introducantur ad locum beatum, asserunt novissimis temporibus filium luminis i. e Christum venisse non iam ad sanandam naturam humanam corruptam, sed ad liberandas animas inclusas, nec tamen venisse in carne vera sed simulata, atque proinde specietenus ipsum passum et mortuum esse. (ibid.)

3 Iuxta doctrinas Astrologiae contendunt quod virtutes, quas appellant sanctas affirmantque residere in luna et sole, exerceant actionem tum in hominum animas tum etiam particulas bonas divinitatis quae insunt coeteris rebus in mundo.

4 Classis dicta penes Manichaeos "electorum„ genere suae vitae sanctiore et perfectiore purgant suas animas, simulque purgant in suis ventribus particulas substantiae divinae quae insunt escis quas iidem sumunt.

Alterius vero eorundem classis qui dicuntur "auditores„ vel "catechumeni„ animae, cum adveniente morte non fuerint adhuc eliquatae, transmigrant in "electos„.

Improborum vero atque infidelium animas aiunt transmigrare in pecora et in plantas etc., donec perficiatur purgatio, pereatque materia.

5 Ex eo quod animalibus, herbis, escis insint immixtae ex substantia bona perticulae, abstinere debent "electi„ ab agris colendis, pomis carpendis, pane frangendo (1) etc., ne scilicet laedant particulas bonas ibi alligatas. Id tamen permittunt "audientibus„ qui inde praebent elementa electis, ut subs-

---

(1) s. Ephr. in epist. ad Hypatium de Manichaeis (edit. Overbeck p. 65) scribit: ܗܢܘܢ ܕܐܦ ܠܐ ܠܚܡܐ ܨܒܝܢ ܕܢܩܨܘܢ ܕܠܐ ܢܟܐܘܢ ܠܢܘܗܪܐ ܕܡܚܠܛ ܒܗ "Isti, qui neque panem frangere volunt, ne dolore afficiant lucem ei immixtam„

tantia in eorum ventre purgata impetret illis veniam. (Aug. l. c.)

6 Ex eo quod censeant solem ex bono igne factum, lunam autem ex bona aqua, idcirco utrumque luminare adorant, et per diem versus solem, per noctem vero versus lunam orant. (ibid.; biogr. Manet. ap. Mich. patr.)

7 Tandem ex dictis palam fit Manetem in suo systemate conflando elementa praecipua desumpsisse ex religione Zoroastri magorum (1), Budae Indorum, nec non Gnosticorum Mesopotamiae (2). Ex christiana autem fide nonnisi quaedam vocabula vel formas hausit, cum reapse Vetus Testamentum renueret et Novi multis ex eo demptis, scripturas depravatas adhiberet, atque nonnullas apocryphas illis anteponeret. Loco Trinitatis fingebat lucem cum suis emanationibus. Aliqui lucem Patrem, emanationes dicebant Filium et Spiritum. Docuit simulata carne apparuisse filium lucis nempe Christum, cuius se vocabat apostolum. Imo contendit se esse Paracletum quem Christus promisit.

Quod ad constitutionem hierarchicam penes suos, spectat, statuit Manes ut apostolo Christi atque Paracleto adstarent duodecim discipuli seu magistri, qui ex "electis„ seligebant septuaginta duos quos denominabant episcopos, habebantque episcopi suos diaconos. Quamvis autem eorum coetus distribueretur in "electos„ et "catechumenos„ nullum tamen hisce conferebatur baptisma.

---

(1) Cf. infr. p. 1, nec non in proleg. p. IX not. 1 ubi iuxta Zoroastri religionem Hormizdas dicitur principium bonum perfectum, Ahriman principium malum absolutum. Item ibidem docetur non esse mactanda animalia, ex eo quod iis insit Hormizdas.

(2) Cf. inf. in proleg. notam appositam sectae Simonianorum, ubi indicantur quaedam affinitates inter systema Manetis et gnosticorum.

5 Inventor sectae Messalianorum

Quartum documentum desumpsimus ex Xenaiae seu Philoxeni Mabbugensis episcopi (1) opere seu epistola, quam ad quemdam solitarium Edessenum nomine Patricium (ܦܛܪܝܩܘܣ ܝܚܝܕܝܐ ܐܘܪܗܝܐ) dedit, cuius argumentum in praefixo titulo sic enuntiatur : "Adversus animae passiones; de animae puritate qua ratione quibusve mediis acquirenda; an deceat ut seligamus loca ad pugnandum contra passiones; utrum necesse sit ut opere perficiamus omnia Christi praecepta„. Praeter codicem nostrae bibliothecae continent praedictam epistolam codex syr. Vaticanus 125 f. 146 et seqq., nec non codices Londinenses addit. 14, 649 f. 180 seqq; 12, 167 f. 144 seqq. etc.

Obiter notandum est Philoxenum uti in aliis suis scriptis hic quoque allegare ex evangelio quosdam versus iuxta vetustiorem syriacam versionem, quam conservarunt codex Londinensis dictus Curetonianus et codex Sinaiticus 3) Alios vero versus allegat iam iuxta Pshittam reformatos.

Quamvis porro in eadem epistola disputet de vitae asceticae exercitationibus, nihilominus circa finem commonens solitarios, ut caveant a "visionibus„ quae ex seductione daemonum effinguntur, subdit : "Vani quidam homines, semet similes apostolis Christi efficientes promittebant mentalia phantasmata, quae dicebant visiones spirituales. Quod penes plures haeresiarchas inventum est, i. e. Valentinum, Bardesanem, Marcionem, Manetem et Ioannem dictum

---

(1) Cf. Assemani B. O. T. II p. 10 et seq. ubi exhibentur gesta huius celeberrimi propugnatoris monophysismi qui in exilium pulsus fuit an. 518.

(2) Ibid. p. 46

(3) Sic ex. g. Math. V, 40 "ܡܢ ܕܨܒܐ ܕܢܣܒ ܟܘܬܝܢܟ ܗܒ ܠܗ ܐܦ ܡܥܦܪܬܟ„ et Math. V, 39 "ܡܢ ܕܡܚܐ ܠܟ ܥܠ ܦܟܟ ܩܪܒ ܠܗ ܐܚܪܢܐ„ et Math. XIX, 21 "ܐܙܠ ܙܒܢ„ "ܩܢܝܢܟ ܘܗܒ ܠܡܣܟܢܐ ܘܬܐ ܒܬܪܝ" etc.

Aegyptium, qui apparuit ante breve tempus„ (1).

Exinde transit epistolae auctor ad describendum infelicem exitum illorum qui phantasticis eiusmodi hallucinationibus se decipi sinebant, duorumque praecipue facta commemorat, quorum alter nomine Adelph exstitit inventor haeresis Messalianorum, alter Assuana hymnographus Edessenus.

Excerptum ergo ex epistola praedicta hunc locum inseruimus tamquam quartum documentum huic fasciculo IV ad fidem codicis nostrae bibliothecae exarati an. graec. 2010 (Chr. 1699), exhibitis in notis codicis Vaticani variantibus lectionibus.

Quod attinet ad haeresim Messalianorum (ܡܨܠܝܢܐ) i. e. "precantium„, quos s. Epiphanius (Anacephal. Migne P. G. XLII p. 873) "Εὐχόμενοι„ denominat, quamvis Theodoretus (hist. eccles. l. IV, c. 11) referat eiusdem sectae principes fuisse Dadoem, Sabam, Adelphium, Hermam et Simeonem, nihilominus Philoxenus testatur inventorem illius fuisse Adelphium, cui deinceps, ait, adhaeserunt plures monachi, brevemque biographiam eius perhibet.

Cum porro s. Ephraem († 373) in hymnis adversus haereses (hym. 12 ad tonum ܗܘܘ ܐܠܦܘܗ cod. syr. Vatic. 111 f. 108 r.), inter sectas ultimo loco recenseat "Messalianos, qui luxuriati„ (2), compertum fit eandem sectam iam aliquo tempore ante sancti doctoris mortem fuisse propagatam.

---

(1) ܐܝܟ ܡܫܝܚܐ ܗܘܘ ܕܡܬܚܙܝܢ ܗܘܘ ܢܦܫܗܘܢ ܠܬܠܡܝܕܐ ܕܡܥܡܕܢܐ. ܘܡܠܦ ܕܐܦ ܗܘܝܘ ܗܠܝܢ ܡܬܚܙܝܢ ܗܘܘ ܦܢܛܣܝܣ ܕܢܘܗܪܐ ܘܦܬܟܪܐ ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܐܠܗܘܬܐ ܐܪܡܝܐ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܕܐܝܠܝܢ ܡܢ ܐܣܟܡܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܐܡܪ ܐܢܐ ܕܝܢ ܠܐܦܘܠܝܢܪܝܘܣ ܘܒܪ ܕܝܨܢ ܘܡܪܩܝܘܢ. ܘܡܐܢܝ ܐܦ ܕܝܘܚܢܢ ܗܘܐ ܐܝܚܝܕܝܐ. ܗܘ ܕܡܢ ܐܦܡܝܐ ܘܫܠܡܐ ܕܐܝܠܝܢ. Huius porro Ioannis oriundi ex Apamea qui ex dictis intra an. 485 et 518 vivere debebat, meminit Barhebraeus in chron. eccl. T. I p. 221 edit. Abbeloos et Lamy, exponitque ipsius errores. Cf. etiam Theodori bar Khuni schol. p. 142 edit. Pognon.

(2) ܡܨܠܝܢܐ ܕܙܠܝܠܘ

6 Assuana hymnographus

Praefatum fragmentum desumptum ex epistola Philoxeni ad Patricium raram perhibet notitiam cuiusdam monachi Edesseni hymnorum editoris, cui nomen ܐܣܘܢܐ Assuana, eiusque brevem biographiam tradit. "De Assuana, inquit, qui illic nempe Edessae degebat, auctorque est hymnorum madrasharum, qui ibidem hanc usque in diem decantantur, opinor tuam sanctitatem iam audiisse„. (vid. infr. 73)

Antonius dein Tagritensis cognomento Rhetor, qui florebat saec. IX, in suo opere super artem rhetoricam part. V de mensuris metricis, non solum meminit eiusdem Assuanae, sed designat "metrum ipsi proprium sex nempe syllabarum„ (1), atque insuper "metrum decem syllabarum quo usus est praeter s. Ephraemum etiam Assuana magister eius„ (2) : quibus postremis verbis satis clare indicat Assuanam aliquo tempore praecessisse s. Ephraemum in versibus concinnandis. Tandem idem auctor profert ex tomo exequiarum defunctorum stropham ex hymno sex syllabarum eiusdem Assuanae 3).

Quamobrem a scriptoribus de re litteraria syrorum noster Assuana inter vetustiores hymnographos laudandus est.

7 Hymnus Assuanae (ܐܣܘܢܐ)

Duce nuper commemorato Antonio Rhetore, qui indicat metrum quo Assuana solebat uti, quique laudat unam stropham ex ipsius hymnis, licuit nobis detegere integrum illum hymnum in vetustis codicibus exequiarum asservatis in ecclesiis syrorum in urbe Mossul. Est autem praedictus hymnus

---

(1) ܫܬܝܬܐ (ܕܡܫܘܚܬܐ) ܫܬܬܬܐ ܗܘܓܝܐ ... ܕܡܪܝ ܐܣܘܢܐ

(2) (ܡܫܘܚܬܐ) ܥܣܪܢܝܬܐ ܗܘܓܝܐ ܕܒܗ ܐܫܬܡܫ ܠܒܪ ܡܢ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܐܦ ܐܣܘܢܐ ܪܒܗ

(3) ܫܬܝܬܐ ܕܫܬܬܬܐ ܗܘܓܝܐ ܡܢ ܦܢܩܝܬܐ ܕܥܢܝܕܐ ܕܡܪܝ ܐܣܘܢܐ

ܗܘ ܡܠܟܐ ܡܪܐ ܕܒܫܡܝܐ : ܘܡܠܟܘܬܗ ܡܪܝܡܐ ܒܥܠܡܐ

ܠܗ ܠܟܠܢ ܕܦܪܩܬ : ܘܐܬܥܪܩܢܝܢ ܒܢܘܚܐ

alphabeticus. Illum rati sumus tamquam documentum quintum nostro IV fasciculo inserendum esse ad fidem praedictorum codicum excusum. Monemus autem eiusdem hymni octo tantummodo excerptas strophas reperiri in editione Romana operum s. Ephraemi T. III p. 324 tamquam canon LVII. . .

Porro cum Antonius tradat istud metrum proprium esse Assuanae (1), merito huic adscribendus est quoque hymnus, cuius excerptae strophae constituunt canonem LX in praedicto T. III editionis Romanae p. 326, cuius principium est ܫܘܒܚܐ ܒܨܒܝܢܟ ܐܒܐ (2)

---

(1) Minime metrum hoc sex syllabarum (6, 6, 6, 6) confundi debet cum metro toni ܐܠܦܒܝܬܐ ܕܗܘܠܐ, cuius schema est 5, 6, 5, 6 nequaquam vero 6, 6, 6, 6 ut computavit Bickell in sua edit. s. Ephraemi carmina Nisibena proleg. p. 32.

(2) ܩܘܢܐ

ܫܘܒܚܐ ܒܨܒܝܢܟ ܐܒܐ ܘܫܕܪܬ ܒܪܟ ܢܗܘܘܢ ܠܢ
ܘܐܬܓܫܡ ܡܢ ܒܬܘܠܬܐ ܒܓܘܫܡܐ ܕܢܣܒ ܡܢܗ ܠܟܠ ÷
ܐܬܐ ܕܢܚܘܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܘܐܬܚܙܝ ܒܓܘܫܡ ܡܢ ܡܪܝܡ
ܘܗܐ ܢܗܝܪ ܦܪܨܘܦܗ ܒܓܘܫܡܐ ܕܢܣܒ ܟܠܗܝܢ ÷
ܕܒܗ ܕܢܦܩ ܡܢܗ ܦܘܪܩܢ ܡܢ ܒܝܫܐ ܕܡܢܗܘܢ
ܘܐܝܟ ܒܢܝܢܐ ܐܢܫܐ ܘܚܝܐ ܠܟܠܗܘܢ ܒܪܝܬܐ ÷
ܕܐܬܐ ܗܘ ܐܒܐ ܠܟܠ ܢܫܐ ܡܢ ܕܒܪܘܚܐ ܐܬܢܨܚ
ܐܦ ܒܢܘܗܪܗ ܒܟܠܐ ܘܦܘܪܩܢ ܠܟܠܗܘܢ ÷
ܗܘܐ ܕܚܝܐ ܡܢ ܟܠܗ ܘܟܠܗܘܢ ܡܫܒܚܝܢ ܒܟܠܗܝܢ
ܘܐܝܟ ܕܐܒܐ ܡܫܒܚܝܢ ܒܫܡܝܐ ܕܡܫܝܚܐ ܦܘܪܩܢܢ ÷
ܠܐ ܓܝܪ ܐܢܫ ܐܝܟ ܐܦܠܐ ܦܪܘܩܐ ܡܫܝܚܢ
ܕܢܘܗܪܐ ܗܘ ܕܦܘܪܩܢܐ ܕܟܠܗ ܒܗ ܡܫܒܚܐ ܘܫܘܒܚܐ ÷

8 Opusculum : "tractatus de haeresibus„

In amplissima Conciliorum collectione olim evulgata a Ioanne D. Mansi prostat inserta in T. II p. 1055 seqq. : "Praefatio concilii Nicaeni ex codicibus arabicis ab Abrahamo Eckellensi latine versa„. Continet autem breves notitias de vetustioribus haeresibus. Cum autem praesumendum iure erat istam arabicam elucubrationem ex antiquiore textu graeco vel copto vel syriaco fuisse confectam, operam impendimus in perquirendo fonte unde eadem prodierat, feliciterque exinde comperimus illum contineri in tractatu de haeresibus qui una cum aliis praefigitur concilio Nicoeno in codice syriaco 82 Borgiano p. 59 seqq., hodie Vaticano, cuius archetypon asservatur in monasterio Rabban Hormizd haud procul ab urbe Mossul. Quoniam vero tractatus de quo sermo in praefato codice multis laborat lacunis, aliud eiusdem exemplar integrum exscribendum curavimus ex codice vetusto quem possidet domus Abuna in oppido Alcosh ditionis Ninives. Ad huius itaque exemplaris fidem tractatum seu opusculum de haeresibus in praesenti fasciculo uti documentum VI expressimus, adiecta debito loco latina interpretatione.

Porro qui attente conferendam suscipiet arabicam huiusce libelli redactionem latine redditam, prouti legitur apud Mansi l. c., cum nostri textus versione, clare deprehendet illam plurimis in locis interpolatam fuisse.

Praestat aliqua exempla id probantia ob oculos hic proponere :

1° Ubi syr. textus quindecim dumtaxat haereses recenset, arabica redactio adnumerat decem et septem, introducens videlicet post sectam Marcionitarum illam quam nuncupat "Sophistarum„ (Mansi l. c. p. 1057), cui adiudicat errores proprios ethnicis philosophis, minime vero sectis christianis; insuper postquam de secta Paulianorum egerit sub numero 6, iterum eandem sub n. 14 commemorat, quin tamen unum addat verbum de eius professione.

2 Loco sectae Audianorum (ܐܘܕܝ̈ܐ) ex Audi (ܐܘܕܝ) archidiacono Edesseno

denominatae, recensio arabica ponit sectam Photinianorum. Accedit quod ubi textus syrus ait : Ex iis i. e. Audianis sunt quidam ascetae ieiunantes„ (vid. inf. p. 78), apud Mansi (1. c, p. 1058) perperam ponitur : "Horum quidam sunt Messaliani sive orantes, quidam vero insuper Saiemani, sive ieiunantes„ !

Similiter pro nota penes Syros antiqua secta "Cucitarum„ habet Mansi (1. c.) sectam "Phocalitarum„ cuius mentio nullibi occurrit. Verisimile est interpretem Ab. Eckellensem in suo codice arabico pro قوقيين (Cucitae) legisse فوقيين ex quo vocabulo inauditam sectam Phocalitarum confixit.

Item cum syr. textus indicans Marcionitarum dogmata ait "ipsos praedicare tria entia, bonum iustum et malum„ (vid. inf. 77), arabica interpretatio Mansi ibid. 1057 minus recte dicit "illos asserere tres esse deos, bonum malum ac medium inter utrumque„.

3 Praeterea confector arabicae redactionis pristinum textum haud paucis interpolavit additamentis, quorum praecipua sunt:

Allegantur in describenda secta Sabbatinorum loca ex V. T. ad probandam abolitionem sabbati, abrogationemque circumcisionis.

Recensioni sectae Simonis magi inserta fuit additio de huius ausu emendae auro s. Spiritus gratiae.

Errores Manichaeorum plurimis additis incrementis fusius evolvuntur.

Asserit absque ullo fundamento Audianos, quos perperam confundit cum Photinianis , tamquam signo distinctivo indumentis nigris fuisse usos.

Producuntur ex N. T. loca, quibus Timotheistae perhibentur suam sententiam tueri de spernendis reprobandisque opibus.

Ex dictis colligitur ex textu syr. elaboratam interpretationem in postero esse inserendam Mansinianae collectioni conciliorum loco illius ab Eckellensi ex codicibus arabicis confectae.

Modo breviter definiendum est cuinam auctori adiudicandus sit tractatus hic de haeresibus, quem vulgamus. Iamvero considerandum est eundem tracta-

tum aliis in codice coniungi, qui simul praeponuntur actis canonibusque concilii Nicoeni, quos, rogatu Isaac Seleuciae et Ctesiphontis archiepiscopi Syri auctores referunt (1) ex graeco in syriacum vertisse s. Marutham Maipharkensem episcopum, qui a Theodosio Iuniore in Persidem ad sedandam persecutionem missus fuerat (2). Egregie id confirmatur ex clausula tractatus de s. ordinibus, qui in praedicto codice antecedit illum de haeresibus, in qua sane clausula diserte declarat auctor se dirigere scriptum suum ad praelaudatum Isaac hisce verbis : "Haec autem omnia, quae scripsimus vobis, studiosissime rerum divinarum et praestantissime Isacule, non iam propter vos ea scripsimus . . . . , sed propter alios„ (3). Quod autem illius tractatus de s. ordinibus auctor idem sit quoque subsequentis tractatus de haeresibus videtur posse deduci ex proemio eiusdem tractatus, qui sequentibus incipit verbis : "Quoniam ex haereticis multi s. libros plurimum adulterarunt . . . operis pretium est ut hac etiam de re velociter et breviter agentes etc. „ (vid. inf. 76)

Animadvertendum insuper est haeresum quae recensentur in nostro tractatu indicem omnino quadrare in aetatem qua floruit s. Maruthas, neque aptari posse aevo paulo posteriori, quo orientis ecclesias exagitare coeperunt haereses Eutychianorum, Nestorianorum, Phantasiastarum, quarum nullum continet vestigium tractatus quem illustramus.

Id manifestius adhuc elucet ex eo quod, cum hinc auctor ad compilandum suum tractatum de haeresibus videatur in proprium usum convertisse praeexistens opus aliquod graece scriptum, uti innuunt graeca illa vocabula quae explanatur, syriace illinc palam apparet eundem curam gessise recensendi praesertim haereses suo tempore per Mesopotamiae regiones notas, quarum nonnullae uti Bardesanorum Cucitarum et Audianorum ibidem exortae sunt

(1) Assem. B. O. III, 1 p. 73

(2) Socrates

(3) ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܟܠܗܝܢ ܕܟܬܒܢ ܠܘܬܟܘܢ ܐܘ ܚܦܝܛܐ ܕܐܠܗܘܬܐ ܘܡܝܬܪܐ ܐܝܣܚܩܘܣ ܠܘ ܡܛܠܬܟܘܢ
ܟܬܒܢ . . . ܐܠܐ ܡܛܠ ܐܚܪܢܐ

neque ad exteras terras migrarunt.

Operis porro pretium est ex s. Ephraemo qui s. Marutham dimidio fere saeculo praecessit hic producere illa loca in quibus commemorat haereses, quo melius appareat aetas ad quam referendus sit tractatus de haeresibus, de quo disputamus.

S. Ephraem itaque in hym. 22 advers. errores (Cf. cod. vat. 111 f. 108 r.) sequentes enumerat haeresiarcas vel haereses duabus strophis : ܓܢܒ
ܘܠܢܛܝܢܘܣ ܡܢ ܥܕܬܐ ܥܢܐ ܕܒܫܡܗ ܩܪܝܗ. ܘܒܫܡܗ ܟܢܝܗ ܩܘܩܝܐ. ܓܢܒܗ ܘܚܪܝܦܐ
ܒܪܕܝܨܢ. ܘܐܝܟ ܕܠܗ ܕܓܘܐ ܥܒܕܘܗ. ܡܪܩܝܘܢ ܕܝܠܗ ܦܪܫ ܥܢܗ ܗܘܐ. ܢܟܠ ܡܐܢܝ
ܘܚܛܦ ܐܢܘܢ. ܟܠܒܐ ܠܟܠܒܐ ܢܟܬ ܗܘܐ. ܒܫܡܗܘܢ ܗܟܝܠ ܩܪܘ ܠܥܢܗܘܢ. ܒܪܝܟ ܕܐܦܩ ܐܢܘܢ
ܡܢ ܒܝܬܗ ܀ ܛܥܘ ܐܦ ܐܪܝܢܐ. ܘܐܐܛܝܢܐ ܕܐܫܠܡܘ ܚܪܝܦܘܬܐ. ܘܦܘܠܝܢܝܢܐ ܕܐܬܗܦܟܘ.
ܘܣܒܠܝܢܐ ܕܐܬܢܟܠܘ. ܘܦܘܛܝܢܝܢܐ ܕܐܬܥܪܩܘ. ܘܒܪܒܪܝܢܐ ܕܐܬܛܘܫܘ. ܘܩܛܪܐ ܟܠ
ܕܐܬܕܟܝܘ. ܘܐܘܕܝܢܐ ܟܠ ܕܐܬܦܚܘ. ܘܡܨܠܝܢܐ ܕܐܬܦܢܩܘ. ܢܗܦܟ ܠܒܝܬܗ ܛܒܐ ܐܢܘܢ ܀

"Vatentinus (1) ab ecclesia subripuit gregem, quem suo appellavit nomine, suo et nomine eum cognominavit Cucaia, eum subripuit et argutus Bardaissan et tamquam communem (sibi) gregem effecerunt. Marcion suos segregavit oves, quos irruens Manes praedatus est : rabidus rabidum mordebat. Suis itaque nominibus illi appellarunt oves. Benedictus sit qui illos ex domu sua proiecit. Errarunt etiam Ariani, Aetiani (2) qui prodiderunt argutias, Pauliniani, qui perversos se exhibuerunt, Sabelliani (3), qui dolose egerunt, Photiniani (4), qui fraudolentes extiterunt, Broboriani qui se contaminarunt, Cathari quod se mundos effecerint, Audiani quod illaqueati fuerint, et Messaliani (5) quod luxuriati sint. Reducat illos Bonus in domum suam„. Idem a s. Doctore in Testamento

(1) De Valentino cf. Ir. 1, 1 seq. III, 3; Eus. H. E. IV, 7; Philos. VI, 20 - 37 etc.

(2) De Aetio vid. Epiph. haeres. 76

(3) De Sabellio Lyb. vid. Philos. IX, 11 seq.; Euseb. H. E. VII, 6; Epiph. haeres. 62

(4) De Photino cf. Epiph. haeres. 71

(5) Vid. infr. p. 72 ubi Messalanorum sectae indicatur inventor

metrico (edit. Overbeck p. 147) commemorantur hae sectae : ܐܪ̈ܝܘ ܘܐܘܢܘܡ̈ܝܘ ܩܛܪ̈ܘ ܕܒܝܬ ܚܘܝܐ . ܡܪܩܝܘܢܝܐ ܘܡܢܝܢܝܐ . ܕܝܨܢܝܐ ܐܘ ܩܘܩܝܐ ܦܘܠܝܢܝܐ ܦܬܠܡܝܘ . ܣܒܛܝܢܐ ܘܒܪܒܪ̈ܝܢܐ "Ariani, Eunomiani Cathari, Ophitae (1), Marcionitae, Manichaei, Daisanistae, Cucitae, Pauliani, Ptolomaeistae (2), Sabbatini et Borboriani„. Exinde apparet sectas quas recenset tractatus noster, praetermissis Simonianis, Montanistis et Timotheistis, a s. Ephraemo memorari, atque in tractatu contineri omnes quae enumerantur a s. Ephraemo, praeter Valentinianos, Aetianos, Sabelianos, Photinianos, Messalianos, Ophitas.

Hisce expositis pauca de singulis sectis dicamus. Recensendarum in isto libello sectarum merito primam ponit auctor Sabbatinorum, admonens Paulum in epist. ad Phlippenses (III, 2) eandem commemorasse (3). Eius mentio occurrit apud s. Ephraemum non solum in testamento (vid. supra p. XXXII), sed etiam in 2 hym. adv. errores (edit. Rom. II, 440), ubi alludit ad quemdam ritum singularem per mulierem conficiendum in praefata secta. Ait enim ܐܢܬܬܐ ܐܡܟܟܬ ܠܣܒܛܝܢ̈ܐ. ܕܪ̈ܫܝܗܘܢ ܐܪܟܢܘ ܩܕܡ ܐܝܕܗ . ܥܠ ܟܘܪܣܝܐ ܕܒܒܐܡ ܣܝܡ ܡܠܟܐ ܐܪܩܬ ܠܐܕ̈ܢܝܗܘܢ "Mulier subdidit Sabbatianos, qui sua capita coram ipsius manu inclinarunt. (Sedens) super thronum in bemate collocato adhortationem infudit eorum auribus„. In quo autem consistat ritus de quo ibi agitur, haud constat nobis.

Qui dein a nostro auctore illi sectae assignantur errores iidem fere tribuuntur a veteribus scriptoribus Ebionitis, qui quamvis in Christum crederent,

---

(1) Quos graeci a serpente (ὄφις) denominant ophitas vel ophianos, dicuntur a syris ܒܝܬ ܚܘܝܐ

(2) In cod. Collegi Urbani habetur ܘܠܢܛܝܢ̈ܝܘ (Valentiniani) quam lectionem putat Assem (B. O. I) genuinam. Nulli autem cognoscuntur haeretici nomine Ptolaeini, nisi forsan hoc nomine designentur asseclae Ptolomaei discipuli Valentini. Cf. Epiph. haeres. 33

(3) Exinde patet diversam ab ista esse sectam Sabbatinorum de qua exstat can. 7 concilii Constantinop., quaeque exorta est per Sabbatium (vid. Socrat. V, 22)

Mosaicae legis observantias retinebant, sabbatum atque diem dominicam custodiebant (Euseb. H. E. III,), suscipiebant carnalem circumcisionem (Orig. hom. III in genes. 3) et ad exemplum Christi modo iudaico pascha celebrabant (Orig. com. Math. 79).

II Sequitur notitia de Simonianis, asseclis Simonis magi, (act. apost. VIII, 9, 18 - 24) quem refert semet dixisse filium Dei, virtutem abditam creatoris, ac seipsum a Patre fuisse missum ad liberandos homines (1). Tradit praeterea ipsius asseclas composuisse sibi "evangelium quatuor epistolarum, quod inscribitur : liber regionum„. Tandem signa externa indicat quibus iidem Simoniani se ab aliis discernebant ,concluditque asserens eosdem fuisse deditos artibus magicis.

III Exhinc tractatus auctor transiens ad recensendam sectam denominatam Marcionitarum a Marcione Pontico (2), adnotat illos praedicare tria entia

---

(1) Merito Simon magus censendus est princeps gnosticorum, eiusque systema de deo altissimo de, emanationibus ab ipso etc. exponit Iren. advers. haeres. 1, 23, fusiusque auctor Philosophumenon VI ex libello adscripto eidem Simoni, cui titulus : Magna revelatio.

(2) Notum est Marcionem ex Ponto venisse Romam, ubi Cerdon Syrus natione, qui ibidem a tempore Hygini pontificis commorabatur, modo occulte modo aperte docebat illum qui a lege et prophetis praedicatus est deus, non esse ipsum Patrem Iesu Christi, cum ille quidem notus esset, hic ignotus, ille iustus, hic bonus. Marcion itaque Cerdonem tamquam magistrum frequenter adiens eiusdem blasphemam doctrinam auxit. (cf. Ir. III haeres. apud Euseb. H. E. IV, 11).

De tempore autem quo Marcion suam haeresim diffudit haud conveniunt veteres scriptores. Teste equidem s. Iren. apud Eus. H. E. IV, 14, s. Polycarpus interroganti Marcioni respondit se ipsum noscere tamquam primogenitum satanae. Id evenit ante an. 155, quo martyrium sanctus episcopus subiit. Chronicon dein Edessenum ad an. 138 consignat egressum Marcionis ex ecclesia.

seu principia, ab aeterno existentia, nempe deum quem Marcion appellabat "iustum„ dicebatque eundem esse rerum conditorem, legis prophetiarumque auctorem; deum "bonum„ quem deo creatore maiorem censebat (1); tandem principium malum, quod confundebat cum materia (2).

Quamvis autem vetustiores, uti s. Iustinus (apol. 1, 26), s. Irenaeus (1, 27, III, 12), Tertullianus (adv. Marcion. passim), scripserint Marcionem duos docuisse deos (3), nequaquam hoc asserentes excludebant eiusdem sententiam de tertio principio malo, sed solum respiciebant ad antithesim, quam haeresiarcha ille inter deum iustum et deum bonum adeo urgebat, ut illum quidem, quem iustum nuncupabat, exhiberet uti improbum atque iniquum, eidemque vitio verteret creationem corporum, institutionem coniugii atque generationis, nec non plagas hominibus inflictas aliaque mala physica. Deum autem quem denominabat bonum, qui in Iesu Christo apparuit, dicebat esse "extraneum„ seu alienum deo creatori, imo "oppositum„ ipsi (4).

---

(1) Cf. Iustin. adv. Marcion. apud Euseb. H. E. IV 11

(2) De principio malo seu materia vid. dicenda inferius

(3) S. Ephr. in hym. 3 adversus errores (edit. Rom. II p. 443, 444) postquam dixit: ܚܕ ܣܡ ܒܓܘ ܥܘܡܩܐ ܐܚܪܢܐ ܒܓܘ ܪܘܡܐ ܡܪܩܝܘܢ ܠܐܠܗܐ "Marcion unum deum statuit in profundo alium deum in excelso„ subdit: ܡܪܩܝܘܢ ܠܐܠܗܐ ܬܠܬܐ ܡܩܪܐ ܠܗܘܢ "Marcion tres quoque deos denominat„.

(4) Eiusmodi antithesim inter deum iustum et deum bonum Marcionitas urgentes carpit passim s. Ephr. tum in hym. adversus errores tum alibi. Sic in hym. 39 vers. 9 (p. 519 ait: ܥܒܕܘ ܠܗܘܢ ܠܡܥܕܪܢܐ ܢܘܟܪܝܐ ܕܛܒܘܬܐ ܘܨܒܬܘܗܝ ܠܒܪܘܝܐ ܣܩܘܒܠܐ ܕܛܒܘܬܐ "Extraneum effecerunt fautorem bonitatis, atque creatorem finxerunt adversarium bonitatis„. In hym. 42, vers. 1 (p. 534) inducit Marcionitas asserentes ܛܒܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܠܩܘܒܠ ܒܝܫܐ "Bonus, qui est adversus pravum„. In hym. 28 de virginitate strepha 12 (edit. nostr. p. 82) sic doctrinam Marcionis exponit: ܛܒܐ ܫܪܝܪܐ ܘܟܐܢܐ ܗܘ ܢܘܟܪܝܐ . ܚܣܝܐ ܠܒܪܘܝܗ ܐܦ ܣܩܘܒܠܐ ܗܘ . ܕܛܒܘܬܐ ܕܐܡܪܝܢ ܠܗ ܡܪܩܝܘܢ . ܕܐܝܟ ܐܦ ܛܒ ܐܦ ܟܐܢܐ . ܒܝܫ ܒܗ ܒܕܝܢܐ . ܢܣܒܘ ܕܡܫܝܚܐ ܕܝܠܗ ܒܗ ܡܫܬܒܗܪܝܢ

Praeter praedictos itaque duos deos, induxit Marcion materiam tamquam ens ab aeterno existens, ex quo contendit deum iustum confecisse corpus humanum, quod declarat esse pravum seu malum, cui infudit animam a se creatam (1).

Marcion consequenter asserebat etiam animalium corpora fuisse ficta ex materia (2).

ܕܢܘܟܪܝܐ "Eum quem alienum dixit Marcion, vocavit bonum. Opposita sane est denominatio subiecto significando! O sensus quos nobis prodidit Marcion asserens deum iustum, bonum atque iniquum! O tuum librum execrabilem! Eum refellit codex (sacer) quem suscipis, cum in eo minime prostent nomina alieni„. Cf. etiam carmina Nisibena hym. 37 stroph. 9 - 11 (edit. Bickell).

(1) Idem s. Ephr. in hym. 14 adv. err. stroph. 8 (p. 468) postquam asseruit haeresiarchas ex graeci philosophia desumpsisse vocabulum odiosum materiae turpis, ita prosequitur : ܘܚܙܘ ܘܐܬܚܬܢܘ ܚܕ ܥܡ ܚܕ ܒܢܝ ܕܓܠܐ ܘܟܬܒܘܗ̇ (ܠܗܘܠܐ) ܕܐܝܬܝܘܬܐ ܗܝ ܡܢܗ̇ ܡܛܠ ܕܡܪܩܝܘܢ ܟܬܒܗ̇ ܕܗܘܬ ܠܩܘܒܠܗ ܕܒܪܘܝܐ "Filii mendacii perspicienter inierunt inter se mutuam affinitatem conscripseruntque materiam esse existentiam ex se, siquidem Marcion scripsit eam exstitisse ex adverso creatoris„. In hym. 44 str. 5 (p. 538) addit creatorem ad creandum se inclinasse ad materiam„; et in hym. 42 str. 2 (p. 534). ܚܝܒܘ ܣܟܠܐ ܠܨܒܥܐ ܕܪܚܡܐ ܕܓܒܠܗ ܠܦܓܪܐ "Obiurgarunt insipientes digitum misericordiae, quai plasmavit corpus„; et in hym. 43 str. 7 (p. 535) idem repetit inquiens ܠܟܐܢܐ ܕܓܒܠܗ ܟܠܗ ܦܓܪܐ ܨܚܘ ܫܝܛܐ "Abiecti vituperarunt iustum quod totum corpus plasmaverit„. Tandem in hym. 48 (p. 544) disputans adversus Marcionitas qui contendebant factum fuisse corpus ex materia i. e. principio malo, ait ܘܦܐܐ ܠܟܐܢܐ ܟܐܢܐ ܗܘܐ ܕܢܫܕܐ ܢܦܫܐ ܕܡܢܗ ܠܦܓܪܐ ܒܝܫܐ ܕܡܢ ܗܘܠܐ. ܘܐܝܟܢ ܪܚܡ ܒܥܠܕܒܒܗ "Neque iusto iustum erat animam ab ipso infundere corpori malo ex materia confecto. Quomodo enim sibi adversarium amasset ?„.

(2) Quod attinet ad animalia in superius memorato hym. 48 (p. 545) notat s. Ephr. "Si in eorum natura belluae animalia ex materia sunt, qua in re distinguuntur ab invicem ?„ ܘܐܠܘ ܒܟܝܢܗܘܢ ܒܢܝ ܗܘܠܐ ܐܢܘܢ. ܒܡܢܐ ܦܪܝܫܝܢ ܚܝܘܬܐ

Postremo idem confudit daemones cum materia (1).

Animadvertendum est porro ex modo dictis palam fieri Manetem suam sententiam de principio malo etc. ex Marcione hausisse.

Tamquam expositae doctrinae de corporum origine ex materia turpi consectaria, docebat Marcion Iesu Christi humanitatem fuisse apparentem, minime autem veram, similiterque eius passionem, mortem atque resurrectionem (2)

Eadem de causa condemnabat coniugium atque prolis generationem (3). Tandem corporum nostrorum resurrectionem negat (4).

Quod ad s. Scripturam attinet, testibus veteribus auctoribus, Marcion non solum penitus repudiabat V. T. utpote datum a deo iusto, sed ex N. T. nonnisi

---

(1) Sic disputat s. Ephr. adversus Marcionitas in hym. 48 (p. 545) ܘܐܢ ܗܝܘܠܐ ܦܓܪܢܝܬܐ ܗܝ . ܐܝܟܢܐ ܕܐܡܪܬ ܕܡܢܗ̇ ܢܦܩܘ ܫܐܕܐ ܩܛܝܢܐ ܘܪܘܚܢܐ . ܠܗ̇ ܠܗܝܘܠܐ ܩܪܝܢ ܗܘܐ . ܘܐܝܟ ܦܓܪܐ ܡܢܗ ܗܘ . . . . ܕܗ̇ܘ ܟܣܐ ܘܗܢܐ ܓܠܐ . ܐܘ ܬܪ̈ܬܝܢ ܒܟܝܢ ܗܘ̈ܝ ܐܠܐ . ܕܦܪ̈ܝܫܢ ܒܟܝܢܗܝܢ . ܒܪ ܫܘܝܢ ܒܫܡܗܘܬܗܝܢ "Et si materia est corporalis, quomodo ex ea emanasse dicis daemones subtiles et spirituales? Deinde materiam vocant satanam: ast quomodo dicis corpus ex eo confectum esse, cum occultus ille sit et hoc sit visibile? An duae dantur forsan materiae natura quidem distinctae, sed nomine aequales? Cf. etiam hym. 48 p. 546.

(2) Disertis verbis declarat s. Ephr. Marcionitas censuisse phantasma vel imaginem fictam Domini nostri humanitatem Cf. hym. 35 (p. 519) et hym. 36 (p. 521). Ibidem "ait eosdem mortem veram atque resurrectionem Domini contendere esse phantasma„.

(3) Idem s. Doctor in suis hymnis adversus errores insequitur Marcionitas "utpote qui vituperent deum iustum, qui delectetur plagis infligendis hominibus . . . ipsumque culpent obiurgentque, quod generationem prolis atque connubium adamet„ ܠܒܘܠܐ ܡܒܥܠ ܕܒܢ̈ܝܐ ܢܣܒ . . . ܘܦܣܩܘ ܠܗ ܕܒܥܠܘܬܐ ܕܡܠܐ ܢܣܒ ܐܦ ܠܘܠܕܐ ܕܡܫܬܥܒܕܝܢ (Cf. hym. 36 p. 526).

(4) Idem s. Ephraem declarat "Marcionitas ex eo quod deseruerint suum Opificem inficiatos esse resurrectionem, qua defraudarunt sua corpora, sibimet spem adimentes„ ܠܦܓܪܗܘܢ ܛܠܡܘܗ̇ . ܘܣܒܪܗܘܢ ܠܒܪܘܝܗܘܢ ܘܩܒܪܘܗ̇ ܣܒܪܗܘܢ ܕܩܝܡܬܗܘܢ ܒܣܒܪܗ (Cf. hym. 15 p. 471).

Evangelium s. Lucae, illudque mutilatum ac depravatum recipiebat, nec non decem solas s. Pauli epistolas. Eiusmodi ausus Marcionis in N. T. libros seu, ut ait, in "acta Domini„ (ܦܪ̈ܓܡܛܝܐ) condemnat s. Ephraem in hym. 38 adv. errores (p. 526) inquiens : "Apostatae intulerunt manus in acta Domini ad illa laceranda, truncanda, in iis quaedam delenda, alia inserenda et nonnulla addenda .... expunxerunt ex iis vocabula quae iustitia Filii Dei boni conscripserat nec tamen praevaluerunt totum volumen e medio tollere„ (1), Porro auctor tractatus, quem illustramus, addit sublato libro actorum apostolorum substituisse alium iuxta suos errores compositum quem inscribebant "summam„ vel "finem„ (2).

Ex scriptis porro s. Ephraemi eruitur Marcionem explanationes prorsus indecentes induxisse in quaedam loca s. Scripturae. Sic ex. g. in hym. 50 (p. 548) exhibet Marcionem inurentem in suis scriptis impuritatis crimen deo puro et sancto, cum alludens ad factum aliquod, quod enarratur in sacris libris fingit eundem collum denudatum adspexisse etc; atque addit eundem turpiter interpretari incubationem spiritus super aquam cuius meminit liber genesis (I, 2). Praeterea in hym. 52 (p. 551) refert Marcionem exemplum putaminis et ovi inepte induxisse ad creationem hominis effingendam.

Animadvertendum est deinde auctorem tractatus referre Marcionitas in suis conventibus qui ad formam ecclesiarum catholicarum erant constituti consuevisse quosdam sibi proprios hymnos canere loco psalmorum. Ex s. Epraemo autem innotescit eosdem ritum eucharisticum habuisse : sic enim in hym. 45 (p. 539) fideles alloquitur (3) : "Filii veritatis date laudem Deo quoniam

---

(1) ܒܦܘܪ̈ܐ ܗܘܘ ܒܦܪ̈ܓܡܛܝܘܬܗܘܢ ܡܪܩܘܗ ܘܦܣܩܘܗ. ܦܠܓܘ ܘܢܬܦܘ ܘܐܘܣܦܘ ...
ܡܠ̈ܐ ܕܟܐܢܘܬܗ ܕܒܪܐ ܕܛܒܐ ܟܬܒ ܗܘܐ ܒܗ. ܠܐ ܕܝܢ ܫܠܡܘ ܦܠܓܘ ܟܬܒܐ ܟܠܗ

(2) S. Aug. in actis cum Felice manichaeo l. II, 6 commemorat actus a Leucio scriptos tamquam actus apostolorum.

(3) ܒܢ̈ܝ ܩܘܫܬܐ ܗܒܘ ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ. ܕܦܪ̈ܩܘܢ ܒܥܘܡܩܘܢ. ܕܒܪܝܢ ܘܐܘܣܦܘ ܘܐܪܡܝܘ
ܐܝܟ ܕܒܪܢܫ ܗܘ ܦܓܪܗ ܕܡܫܝܚܐ ܡܢ ܠܗ. ܡܠܟ ܒܪܢܫ ܠܗ ܠܡܫܝܚܐ ܕܡܢ ܦܓܪܗ
ܕܠܐ ܕܝܠܗ ܒܡܣܟܢܐ ܘܡܣܟܢܘܬܗ

qui vos insequuntur evaserunt praecones vestrae fidei. Cautione enim veluti exhibita, appositoque chirographo scripserunt, vivificantis Christi corpus verum esse. Loco chartae id scripserunt super panem quem fregerunt, et absque atramento id consignarunt in vino„. (Cf. hym. 47 p. 542).

Praetereundum non est ultimo loco s. Ephraemum referre Marcionem austera ieiunia observasse atque cilicium induisse (cf. hym. 1 p. 439).

IV Exinde libelli de haeresibus auctor paucis innuit praecipuos sectae Manichaeorum errores, additque eos septem profiteri planetas et duodecim zodiaci signa, affirmare dari fortunas, fata horoscoporumque decreta, atque navare assiduam operam astrologiae incantationibusque. Etiam s. Ephraem passim exprobrat Manichaeis fidem in septem, in duodecim atque in horoscopos et fatum, usumque incantationum (Cf. hym. 1 p. 439, hym. 7 p. 455).

Consentaneum porro est hic adnectere notitias ex s. Ephraemi scriptis erutas ad quaedam illustrauda capita systematis Manetis:

a) In hym. 22 (p. 487) scribit "Manetem se cognominasse pseudochristum, inflavisse in suos prophetas spiritum erroris„; et paucis interiectis subdit eundem "semetipsum nominasse apostolum atque paracletum, qui heri erupit„ (1).

b) In hym. 2 (p. 440) irridet sic dictos "electos„ illius sectae, qui videntes sibi non licere panem frangere petunt fractiones a quibusvis, queis praetendunt se delictorum condonationem concedere, dum ipsi fractiones illas manducant (2).

---

(1) ܡܫܝܚܐ ܕܓܠܐ ܐܬܟܢܝ ܢܫܒ ܪܘܚ ܛܘܥܝܐ ܒܢܒܝܘܗܝ . . . ܫܠܝܚܐ ܢܦܫܗ ܩܪܐ
ܗܘܐ ܦܪܩܠܝܛܐ ܕܡܢ ܐܬܡܠܝ

(2) ܗܘ ܦܪܘܫܝܢ ܠܓܒܝܘܗܝ ܕܫܠܝܛ ܒܟܠ ܟܢܫ . ܡܣܬܒܪܝܢ ܠܟܠ ܕܐܬܩܨܝ . ܦܠܓܐ
ܚܛܗ ܫܒܩܐ . ܐܟܠܐ ܒܪܝܫܐ ܐܢܘܢ ܕܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܩܨܝܢ . ܣܓܝܐܐ ܘܩܒܠ ܠܗܘܢ ܩܨܡܝܢ

c) In hym. 7 (p. 455) et in hym. 19 (p. 477) refert fabulam Manetis de procreatione gigantium ex connubio quod coelicoli ex alto delapsi in terram habuerunt cum feminis.

d) Tandem ad definiendam aetatem qua Manes suam sectam constituerat, notandum est s. Ephraemum in epistola ad Hypatium (p. 69 edit. Overbeck) asserere ante centum annos illos errores nondum exortos fuisse. Idem autem s. Doctor a propagata christiana religione usque ad tempus quo scribebat enumerat tercentos annos. (hym. 25 adversus errores p. 496). Porro iuxta chron. Edess. (p. 3 edit. Guidi) anno Christi 240 dicitur natus Manes.

V Hinc recensetur secta Pauli Samosateni, qui, postquam anno 260 ad sedem Antiochiae fuerit promotus, impias protulit sententias de Trinitate, contendens praesertim Christum esse purum hominem, cui adhaesit divina gratia, quae in ipso per voluntatem amoremque inhabitavit (cf. Eus. H. E. VII, 26, 28). Addit autem auctor noster Paulianus depravasse s. libros, ex quibus expunxerunt sententias, Trinitatem personarum vel filii divinitatem demonstrantes aliasque loco earum substituerunt.

VI Exhinc progreditur ad haeresim commemorandam Audianorum ܐܘܕܝܐ ita denominatorum ab Audi ܐܘܕܝ archidiacono Edesseno, qui initio restitit decreto synodi Nicoenae de non celebranda solemnitate paschae cum Iudaeis.

Pretium operis est ex Philoxeni Mabbugensis inedita epistola ex Philippopoli Thraciae ad monachos orientis data notitiam quam perhibet de Audianis hic proferre. Ait: "Audiani denominantur ab Audi archidiacono cleri Edessae qui ab ea quae dicitur regula accurata se seiunxit, neque cum ecclesiae filiis orabat. Praeterea ex eo quod contendebat episcopos esse opulentos, clerosque pecuniam mutuo cum usura dare ac recipere, hac etiam de causa schisma faciens ab ecclesia recessit. Reputantur autem in iis quae ad fidei professionis formulam pertinent minime deliquisse. Attamen recipiebant scripta apocalyptica

ܓܠܝ̈ܢܐ„ (1). Ex hisce porro libellis quibus utebantur Audiani commemorat Theodorus bar Khuni in suo scholio (edit. Pognon 132) apocalypsim "Abrahami„ alterum apoc. "Ioannis„ tertium "exterorum„ quartum "interrogationum„, atque ex iis quaedam excerpta exhibet. Barhebraeus autem in suo libro ܡܢܪܬ ܩܘܕ̈ܫܐ "candelabrum sanctuarii„, ubi recenset sectas, tribuit Audi tamquam auctori nonaginta quatuor libellos apocalypticos et acta ܓܠܝ̈ܢܐ ܘܦܪ̈ܟܣܝܣ, atque ex uno allegat duas sententias, quarum una cum allegatione Theodori bar Khuni adamussim congruit. Notandum est interea ex Philoxeno colligi Audianos adhibuisse libellos apocalyptos, qui iam in usu erant penes sectas, minime autem illos fuisse confectos ab Audi, uti refert Barhebraeus.

VII. Libelli de haeresibus scriptor ait se abstinere ab exponendis Borborianorum doctrinis fallacibus ob nefanda illorum gesta. Idem dicit s. Augustinus (in lib. de haeres. 6) notans "nonnullos eos Borboritas vocare, quasi coenosos, propter turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur„. Quod attinet ad infanticidium, cuius illos reos dicit noster auctor, videtur illud crimen ipsis fuisse commune cum Carpocratianis.

VIII Haeretici quos recenset tractatus de haeresibus sub nomine Cucitarum ܩܘ̈ܩܝܐ alii prorsus sunt a Cucitis hymnographis, qui iuxta Barhebraeum tempore synodi Ephesinae florebant. S. Ephraem haud semel meminit sectae Cucitarum in suis hymnis adversus errores, nec non in suo testamento, eorumque nomen a syriaco vocabulo ܩܘܩܐ quod sonat "urna fictilis„ derivatum dicit. Ex quo patet sectam istam exortam fuisse in regione Syrorum, neque

---

(1) [illegible]

probabiliter ad exteros transiit populos.

Quod attinet ad errores Cucitis proprios, ait libelli auctor eos ad instar Samaritanorum omnino abhorruisse a mortuis, odio habuisse leprosos, elephantiasi laborantes, aliosque eiusmodi, resurrectionem corporum negasse, N. T. vitiasse non autem V. T., sibi suos duodecim apostolos sub nomine evangelistarum confixisse.

Sed Theodorus bar Khuni (p. 144) fuse exponit absonum obscoenumque systema Cucitarum de theogonia atque cosmogonia. Fabulantur Cucitae nempe ab aeterno praeexstitisse terram lucis atque in ipsa mare lucidum, ex quo dicitur natus deus, qui, cum sedens super mare inspiceret in aquis suam imaginem, eandem extrahens sibi assumpsit in coniugem, quae "mater vitae" appellatur. Exinde insaniunt genitos fuisse plures deos deasque, subduntque matrem vitae confecisse septuaginta saecula seu mundos ac duodecim aiones. Comminiscuntur porro ex parte deo adversa exstitisse deforme atque pravum quoddam monstrum seu simulacrum motu, anima, atque intellectu expers, quod cum vidit deus, eidem voluit impertiendam vim, intelligentiam, vitamque ex saeculis suis. Quibus acquisitis insurrexit monstrum ad pugnandum adversus aiones dei boni, qui quadraginta duo inierunt cum eo certamina, unde consequens fuit ut nascerentur animalia, belluae ac reptilia. Quondam vero delirant matrem vitae cum septem comitantibus virginibus descendisse versus illud vesanum monstrum quod flavit in eam polluitque ipsius inguen. Foedata exinde mater vitae septem per dies distenta fuit a regressu ad deos. Hinc septem virgines, unam singulis diebus, deglutiendas monstro porrexit. Quare subdunt deos fuisse adactos ad descendendum ut eriperent virgines utpote suas sponsas.

Neminem porro fugit quaedam analogia quae intercedit inter Manetis atque modo expositum systema Cucitarum. Forsitan hoc illud tempore antecessit.

IX Deinceps paucis delineat auctor praecipuas falsas doctrinas sectae

Daisanitarum ܕܝܨܢ̈ܝܐ a Bardesane ܒܪ ܕܝܨܢ (1) denominatae.

Haud consentiunt autem eruditi viri in designandis Bardesanis erroribus, neque desunt etiam inter recentiores (2) qui eundem a nota gnosticorum penitus purgare conantur. Idcirco operae pretium est paulo distinctius veterum testimonia de celeberrimo illo viro eiusque doctrinis hic indicare.

Auctor operis "philosophumena„ (VI, 35) refert eum (3) pertinuisse ad scholam Valentini atque asseruisse spirituale fuisse corpus quod induit Christus. Eusebius (H. E. IV, 30) tradit ipsum fuisse primo addictum scholae Valentini, cuius postea impugnavit errores ineptasque fabulas, se convertens ad rectae fidei doctrinam, quin maculas errorum ex integro deponeret. S. Epiphanius (haer. 56) scribit eundem fuisse primo orthodoxum et multa edidisse opera consentanea fidei, sed in Valentini deinde errores incidisse, et mortuorum resurrectionem negasse. Postremo s. Hieronoymus (de viris illustr. 33) declarat eundem evulgasse infinita scripta adversus omnes haereticos, attamen addit ipsum novam condidisse haeresim.

Prae ceteris autem ad definiendam Bardesanis doctrinam inspicienda potissimum sunt scripta s. Ephraemi, qui etiamsi fere uno saeculo cum dimidio ab ipso distaret, nihilominus ipsius doctrinae cognitionem sibi comparavit ex accurata lectione eius elucubrationum eodem suo patrio sermone conscriptarum, minime vero ex vago rumore. Siquidem (in hym. 56 p. 560) diserte nominat Bardesanis librum "mysteriorum„ cuius mentionem facit quoque in hymno 1 (p. 439) una cum libro "tonitruum„. Pluries memorat centum quinquaginta cantica ܬܫܒ̈ܚܬܐ seu hymnos ܡܕܖ̈ܫܐ, quos Bardesanes ad

---

(1) Chron. Edess. ait Bardesanem fuisse natum an. Christi 154 et Porphyrius (223-305) refert Bardesanem vidisse Indos legatos missos ad Antoninum Heliogab. qui regnavit ab an. 218 ad 222. Auctor autem biographiae Bardesanis apud Mich. patr. Iacob. eiusdem nativitatem ad an. 144 assignat et mortem ad an. 222.

(2) F. Nau in patrolog. syr. T. 11 p. 499, 527 etc.

(3) Pro "Bardesanes„ habet auctor philosoph. "Ardesianes„

varios tonos concinnavit, declarans se illos attente legisse (hym. 1 p. 439; 53 p. 553, hym. 54 p. 555, hym. 55 p. 557; carm. Nisibena edit. Bickell hym. 51 p. 102). Imo ex illis paucas strophas in medium producit (Cf. hym. 54 p. 555, hym. 55 p. 558). Adeo autem familiaria erant Bardesanis cantica s. Ephraemo, ut eorum melodias dsumpserit ad concinnandos suos hymnos quos in conventibus publice canendos studebat, illosque opponebat Bardesanis canticis erroribus maculatis, ut fideles ab iisdem audiendis revocaret. (Cf. hym. 53 p. 553, 56 p. 560 hym. 51 carm. Nisib. etc). Neque eiusmodi testimonium s. Ephraemi adscribi debet eius animo infenso in Bardesanem: huius enim asseclae, qui in ipsa urbe Edessa, in qua scribebat s. Ephraem, suam praecipuam habebant sedem, ipsum falsi facile arguissent. Porro quamvis passim Bardesanem impetat, eius tamen ingenium laudat ipsum designans titulo "arguti„ vel "sagacis„ ܚܪܝܦܐ atque "subtilis„ ܦܛܝܢܐ (Cf. hym. 6 p. 452, hym. 22 p. 485).

Hisce expositis, en praecipui textus ex s. Ephraemi scriptis deprompti, qui produnt errores quos docuit Bardesanes, quosque asseclae eius tuiti sunt:

a) Inprimis itaque s. Ephraem testatur Bardesanem ex ovili Christi non aliter ac Valentinus, Cucita aliique seiunxisse partem quam in gregem constituit (1); subiungit eidem gregi ipsum dedisse suum nomen (2); concluditque proprii nominis impositionem arguere eundem pravam doctrinam conflasse (3). Nequaquam igitur tamquam dux scholae astrologicae vel phlosophicae perhibe-

(1) Cf. hym. 22 p. 485 "Valentinus ab ecclesia suffuratus est gregem, quam suo nomine vocavit, Cucita gregem suo nomine cognominavit, eam quoque argutus Bardesanes suffuratus est„ ܓܢܒ ܥܢܐ ܘܠܢܛܝܢܘܣ ܡܢ ܥܕܬܐ ܘܩܪܗ ܒܫܡܗ . ܩܘܩܐ ܗܘ
ܒܫܡܗ ܩܡܠܗ . ܓܢܒܗ ܚܪܝܦܐ ܒܪ ܕܝܨܢ

(2) Cf. hym. 56 p. 559 "Pecus suum impressit appellavitque suo proprio nomine„
ܥܢܗ ܕܒܪ ܕܝܨܢ ܒܫܡܗ ܪܫܡ ܘܩܪܗ

(3) Cf. hym. 23. 489 "Interrogentur asseclae Bardesanis, quo modo et quare ex nomine Bardesanis fuerint nominati, seu quaenam causa fuerit illius cognominis. Numquid quia ex eo fuerint generati, uti Hebraei ex Heber? Si autem quia ab eo fuerunt

tur Bardesanes a s. Ephraemo, sed uti auctor fundatorque sectae pravae doctrinae ad instar Valentini, Cucitae, aliorumque cum quibus passim ipse enumeratur. Cf. hym. 24 p. 494

b) S. Ephraem declarat equidem Bardesanem professum esse unum tantum Ens ܐܝܬܝܐ supremum scilicet existentem deum, cuius maiestas perquiri nequit (1); quod ut expressius significet dicit alibi eum credidisse nullo modo duos posse esse deos (2). Attamen idem s. Doctor subiungit eum praeter deum super omnia introduxisse plures substantias seu naturas, quas syriace appelabat ܐܝ̈ܬܝܐ i. e. entia existentia, eo plane sensu quod iisdem tribueret existentiam a se, quae nonnisi uni debetur vero deo (3). Imo clarius adhuc probat

---

in doctrina instituti, ergo denominatio eorum ex suo nomine arguit eundem pravam doctrinam conflasse ܫܡܗܘܢ ܒܢ̈ܝ ܒܪ ܕܝܨܢ ܕܐܬܟܢܝܘ ܡܫܬܡܗܝܢ ܡܢܗ ܒܫܡܗ ܒܪ ܕܝܨܢ ܐܠܦܘܗܝ . ܘܫܡܐ ܗܘ ܠܗ ܒܫܡܐ . ܠܐ ܗܘ ܕܫܡܗ ܡܫܒܚ ܐܝܟ ܕܒܥܝܪܐ ܡܢ ܒܪܝܐ . ܐܠܐ ܕܫܡܗ ܗܘ ܐܠܦܘܗܝ . ܒܫܡܗ ܕܫܡܗ ܡܫܚܠܦ . ܕܡܠܦܢܐ ܒܫܡܐ ܕܪܒ .

(1) Hym. 54 p. 556 ait de Bardesanitis "Unum (deum) existentem magnum extulerunt, cuius magnificentia perquiri nequit„ ܐܪܝܡܘ ܠܚܕ ܐܝܬܝܐ . ܕܠܐ ܡܬܒܨܝܐ ܪܒܘܬܗ

(2) De Bardesane scribit in hym. 3 p. 443 "Bardesanes ergo confessus est et credidit duos non posse esse deos„ ܒܪܕܝܨܢ ܕܝܢ ܕܐܘܕܝ ܘܗܝܡܢ ܗܘܐ ܕܬܪܝܢ ܐܠܗ̈ܐ ܕܠܐ ܠܡ ܡܫܟܚܝܢ ܕܢܗܘܘܢ

(3) Ibidem subdit. "Ast docens plura esse entia existentia (a se), iam admisit quod reiecit„ ܟܕ ܕܝܢ ܐܡܪ ܣܓܝ̈ܐܐ ܐܝܬܝ̈ܐ ܩܒܠ ܗܘ ܕܣܢܐ. In hym. autem 53 p. 553 totus est s. Ephraem in impugnando Bardesane, qui associare entia ausus sit Enti uno a se existenti. Hinc scribit : "Mirandum prorsus est quod qui nostri sunt fratres ob (communem) stipitem ex Adamo et genus ex Heva confixerint blasphemantes Enti vero socios„ ܬܡܝܗ ܕܒܥܩܪܐ . ܚܕܝܢܝ ܕܡܢ ܐܕܡ . ܘܓܢܣܐ ܕܡܢ ܚܘܐ . ܠܐܝܬܝܐ ܟܕ ܡܓܕܦܝܢ ܝܗܒܘ ܠܐܝܬܝܐ ܕܝܬܝܘܬܐ . Deinde in eodem hymno sic prosequitur (p. 554) "Moyses nobis testatur se neminem designasse nomine existentiae a se . . . . Deus Moysi manifestavit nomen suum semet appellans ܐܗܝܗ ܐܗܝܗ, quod est nomen existentiae a se„ ܡܫܐ ܗܘ ܣܗܕ ܠܢ ܕܠܐܢܫ ܠܐ ܟܢܐ ܒܫܡܐ ܕܐܝܬܝܘܬܐ . . . . ܠܡܘܫܐ ܓܠܝܗ ܠܗ ܫܡܗ . ܕܐܗܝܗ . ܐܫܪ ܐܗܝܗ . ܫܡܐ ܗܘ ܕܐܝܬܝܘܬܐ

Bardesanem docuisse errorem plurium deorum per entia illa introducta ex eo quod statuerit eadem esse ingenita nempe nequaquam deum creatorem uti causam efficientem habentia (1). Ulterius illa entia a se existentia, quae Bardesanes introduxit, designantur a s. Ephraemo tamquam "aeterna„ (2). Non est ergo quaestio de definitione vocabuli ܐܝ̈ܬܝܐ in se sumpti, sed de sensu quo a Bardesane indicabantur entia a se existentia, quae scilicet a deo non fuerint creata, quaeque ab aeterno exstiterint.

Etiam s. Epiphanius (haer. 56) affirmat "Bardesanem multa perinde et alia principia . . . invexisse„ Et interiectis quibusdam subdit "De pluribus vero principiis, quoniam adversus alios iampridem multa diximus, longam haud instituam disputationem„. Ex quo apparet entia illa a se existentia quae introduxit Bardesanes ab Epiphanio "principia„ dici.

c) Post allegata autem verba in praecedente nota addit s. Ephraem Bardesanitas divisisse ens in entia et existentiam in quinque virtutes (3). In hym. 41 autem (p. 532) recenset quatuor entia "spiritum seu aerem, ignem, aquam et caliginem„ (4), in hym. 48 dein (p. 543) enumerat materiam quinque

---

(1) Sic in hym. 53 p. 554 Bardesanem impugnans ostendit ipsum plane discernere inter res factas quae Dei nutu fuerunt creatae, atque inter entia existentia a se atque citra actionem creatoris "Omnes res factae etsi earum substantiae distinctae sint, dicuntur uno vocabulo "opus„ ex arbitrio creatoris. Entium autem a se existentium, quorum causa (efficiens) non est creator, quisnam dintinguet substantias, quisnamve sub uno communi vocabulo complectetur„ ? ܟܠܗܘܢ ܓܝܪ ܐܡܝܢ . ܥܒ̈ܕܐ ܥܒܕܐ ܐܢܘܢ . ܘܡܢ ܗܘ ܫܡܐ ܚܕ ܗܘ . ܦܪܝܫܝܢ ܟܝܢܝ̈ܗܘܢ ܒܨܒܝܢ ܒܪܘܝܐ . ܐܝ̈ܬܝܐ ܕܥܠܬܗܘܢ ܠܘ ܕܒܪܘܝܐ . ܡܢ ܗܘ ܦܪܫ ܘܐܚܕ . ܦܪܫ ܟܝܢܝ̈ܗܘܢ ܘܐܚܕ ܫܡܗ̈ܝܗܘܢ

(2) Disertis verbis in hym. 3 p. 443 ait "Bardesanitas Ens existens divisisse in entia aeterna„ ܠܐܝ̈ܬܝܐ ܡܣܘܟܠܢܐ ܠܠܐܝ̈ܬܝܐ ܦܠܓܘ

(3) ܘܦܠܓܘܗܝ ܥܡ ܗܝ ܠܡܥܢܝܐ . ܟܢܫ ܚܝܠܐ ܚܡܫܐ ܦܠܓܘܗ̇ ܠܐܝܬܘܬܗ

(4) ܐܡܪܝܢ ܠܗܘܢ ܐܝ̈ܬܝܐ ܠܪܘܚܐ ܘܢܘܪܐ ܘܡܝܐ ܚܫܘܟܐ . ܘܡܢ ܐܝܬܝܐ ܡܢ ܟܐ ܗܘ ܡܕܡ ܘܠܐ ܡܕܡ ܡܕܡ ܢܫܟ ܠܟܠܗܘܢ ܗܘܐ ܥܡ ܚܒܪܗ . ܗܘ ܠܟܠ ܒܗ ܕܫܘܪܝܗ ܐܝ̈ܬܝܐ

elementa scilicet aquam et ignem, caliginem et lucem ac tandem spiritum seu aerem. Alibi ait eum dixisse elementa esse non creata (1).

Ex quo apparet Bardesanem, quem s. Ephraem appellat magistrum Manetis (2), hausisse ex philosophia Graecorum aeternitatem materiae cum quinque suis elementis (3), atque ex eo quod praedicta elementa sibi adversantur v. g. aqua igni etc. confixisse eundem Bardesanem mutuam pugnam elementorum collisionemque ante conditum mundum, uti disertis verbis tradit ipse Bardesanes in libro "legum regionum„ (Patrolog. syr. II, 611) sic docens : ܡܘܙܓܐ ܕܚܕ ܥܡ ܚܒܪܗ ܟܠܐ ܥܘܫܢܐ ܕܟܝ̈ܢܐ. ܕܠܐ ܓܡܝܪܐܝܬ ܢܗܘܘܢ ܡܗܝܢܝܢ. ܘܠܐ ܓܡܝܪܐܝܬ ܢܗܘܘܢ ܡܬܗܝܢܝܢ. ܐܝܟ ܕܡܗܝܢܝܢ ܗܘܘ ܘܡܬܗܝܢܝܢ ܡܢ ܩܕܡ ܒܪܝܬܗ ܕܥܠܡܐ "Mixtio unius cum altera impedit vim naturarum ita ne omnino nocentes fiant, neve omnino eis noceatur, sicut nocebant et eis nocebatur ante mundi creationem„ Porro ex istis elementis fuisse creatum mundum Bardesanes docebat, teste s. Ephraemo in hym. 3 (p. 444) ubi ait : ܦܫܚܬ ܒܒܪ ܕܝܨܢ ܛܥܝܘܬܐ ܕܝܘܢܝ̈ܐ ܕܐܠܦ ܕܡܢ ܐܝܬܝ̈ܐ ܒܪܐ ܟܠ ܘܡܬܩܢ ܟܠ "Error Graecorum recruduit in Bardesane qui docuit omnia fuisse creata et constituta ex entibus„ i. e. elementis (4).

---

(1) ܡܝ̈ܐ ܘܐܫܐ ܢܘܪܐ. ܚܫܘܟܐ ܢܘܗܪܐ ܘܪܘܚܐ cf. nost. stud. syr. 1, 12 carm. s. Ephr. adv. Bardes.

(2) In epist. ad Hypatium edit. Overbeck p. 36 ܒܪ ܕܝܨܢ ܗܘ ܪܒܗ ܕܡܐܢܝ

(3) Hym. 14 adv. errores p. 468 . . ܕܐܦ ܒܣܢܐ ܝܘܢܝܐ ܗܘܐ ܡܢ ܚܫܘܟܐ ܕܗܘܘ ܠܐ ܡܫܒܚܢܘܬܗ ܐܦ ܒܪ ܕܝܨܢ ܒܟܝ̈ܢܐ ܕܐܝܬܝ̈ܐ

(4) Cf. Theod. bar Khuni edit. Pognon p. 123. Iuvat ex Ioannis Darensis (saec. IX) opere de resurrectione corporum c. 2 hic proferre notitiam sequentem : ܒܪ ܕܝܨܢ ܕܝܢ ܐܡܪ ܗܘܐ ܕܡܢ ܚܡܫܐ ܐܝܬܝ̈ܐ ܗܘܐ ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܕܡܬܩܪܝܢ. ܢܘܪܐ. ܪܘܚܐ. ܡܝ̈ܐ. ܢܘܗܪܐ. ܚܫܘܟܐ. ܘܟܠܚܕ ܡܢܗܘܢ ܒܠܚܘܕ ܦܪܝܫܐܝܬ ܩܐܡ ܗܘܐ ܒܦܢܝܬܗ. ܢܘܪܐ ܒܡܕܢܚܐ. ܪܘܚܐ ܒܡܥܪܒܐ. ܡܝ̈ܐ ܒܓܪܒܝܐ. ܢܘܗܪܐ ܒܬܝܡܢܐ. ܘܡܪܝܗܘܢ ܒܪܘܡܐ. ܘܚܫܘܟܐ ܒܬܚܬܝܬܗܘܢ ܒܥܘܡܩܐ. ܘܗܘܐ ܠܗܘܢ ܒܚܕ ܡܢ ܙܒ̈ܢܐ : ܐܝ ܡܢ ܓܕܫܐ. ܐܘ ܡܢ ܚܒܪܐ ܡܕܡ : ܐܬܬܙܝܥܘ ܒܚܕ̈ܕܐ. ܘܫܚܠܦ ܚܫܘܟܐ ܘܥܪܒܘ ܐܝܬܝ̈ܐ ܡܢ ܕܘܟܝܗܘܢ. ܘܐܬܚܒܛ ܗܘܐ ܚܫܘܟܐ ܕܢܣܩ ܐܝܟ ܡܢ ܥܘܡܩܐ. ܘܗܘܐ ܦܪܘܩܐ ܠܡܬܚܠܛܢܘܬܐ ܕܐܝܬܝ̈ܐ ܡܬܚܠܛܢܐ. ܘܦܩܕ ܠܚܫܘܟܐ ܡܢ ܐܝܬܝ̈ܐ. ܘܢܦܠ ܠܬܚܬܝܬܐ ܕܥܘܡܩܗ. ܘܐܬܩܢ ܠܥܠܡܐ ܡܢ ܐܝܬܝ̈ܐ

d) Quum refert s. Ephraem Bardesanem asseruisse mundum conflatum ex entibus (inter se commixtis), addit eundem docuisse corpus humanum fuisse plasmatum ex caligine quam confudit cum materia mala, vel etiam cum diabolo. Ita in hym. 53 (p. 553) ait : ܦܓܪܐ ܕܡܢ ܒܝܫܐ . ܘܡܣܬܟܠ ܠܡܠܬܗ̇ ܢܦܫܐ ܕܡܢ ܫܒܥܐ ܘܡܬܒܪܐ ܕܠܐ ܢܩܘܡ . ܗܠܝܢ ܕܒܪ ܕܝܨܢ ܡܠܠ ܒܡܠܬܗ ܕܝܠܗܘܢ "Corpus esse compactum ex malo, idemque haud habiturum resurrectionem, animam vero esse ex septem, ne reliqua fusius referamus, haec sunt quae Bardesanes exposuit in suis dictis„. Idem testatur in hym. 46 stroph. 12 collectionis carmin. Nisib., ubi corpus humanum dicit a Bardesane censeri uti exosum ܣܢܝܐ et impurum (cf. ibid. hym. 45, 8 et hym. 46, 1).

e) Exinde quoque colligitur ideo Bardesanem resurrectionem corporum negasse, quod eorum formationem ex reprobanda caligine derivaverit (1). Porro s. Ephraem tum in hym. adv. errorem tum in hym. carmin. Nisib., atque alibi passim testatur Bardesanem in suis scriptis inficiatum esse resurrectionem corporum. (cf. adv. err. hym. 1 p. 438 carm. Nisib. hym. 45, 46, 51).

ܒܟܬܒܘܗܝ . ܡܢ ܚܡܫܐ ܐܝܬܝ̈ܐ ܕܗܘܐ ܐܡܪ ܥܠܡܐ ܗܢܐ . ܘܗܘܐ ܗܘܐ ܕܐܬܚܙܝ . ܗܘ ܒܪ ܡܢ ܢܘܪܐ ܘܪܘܚܐ ܘܡܝܐ ܘܢܘܗܪܐ ܘܚܫܘܟܐ . ܘܟܠ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܒܦܢܝܬܗ ܩܐܡ ܗܘܐ ܠܒܪ̈ܐ ... ܒܚܫܘܟܐ ܕܡܢ ܠܬܚܬ ܗܘܐ ܡܢ ܢܘܪܐ ܠܡܕܢܚܐ "Bardesanes dicebat hunc mundum visibilem fuisse factum ex quinque entibus igne, spiritu (seu vento), aqua, luce et caligine. Singula porro eorum seiunctim in sua constituta erant regione, ignis quidem in oriente, spiritus in occidente, aqua in septentrione, et lux in australi regione, dominusque eorum in excelso, et caligo eorum inimicus in profundo. Accidit autem tempore quodam fortuito seu casu, ut entia colliderentur inter se, ascenderetque caligo (ex imo) : tunc entia a conspectu caliginis fugerunt ad excelsum confugientia ut ipsa liberaret a caligine. Hinc ille misit sermonem sui intellectus i. e. christum, qui ab entibus abscidit caliginem quae decidit pro sua natura deorsum, statuitque entia singula in suo ordine. Ex immixtione itaque entium constituit mundum istum et quod coaluit ecce purificatur donec desinet mundus. Dicebat autem et corpora esse ex ente illo caligine. Hanc autem sententiam desumpsit ex priscis ethnicis„.

(1) Cf. superius notata ad sectam Marcionitarum

f) Eandem ob sententiam de formatione corporis tradunt veteres auctores Bardesanem docuisse Christi corpus fuisse spirituale (cf. Philosoph. VI, 35; Philoxen. apud Cureton spicil. syr. p. V - VI)

g) Etsi in opere "legum regionum„ dicat Bardesanes hominem esse factum ad similitudinem Elohim (patrol. syr. II, 546,), nihilominus haud pauca sunt loca quae produnt eundem singularem doctrinam tuitum esse de animae creatione. Ita in eodem op. "legum regionum„ explicans suo modo fatum ait: "Fatum est cursus qui datus est potentibus et elementis a deo, et secundum hunc cursum atque ordinem mutantur intelligentiae in suo descensu ad animam, et mutantur animae cum descendunt ad corpora„ (l. c. p. 572).

S. Ephraem autem in hym. 54 (p. 555) provocans ad eiusdem hymnos indicat ipsum in iis dixisse "animam confectam esse ex entibus„ ܠܠ ܠܡܬܦܪ̈ܫܘܬܗ ܕܒܪ ܕܝܨܢ . . . ܐܡܪܝܢ ܕܐܦ ܢܦܫܐ ܡܢ ܐܝ̈ܬܝܐ ܚܒܝܫܐ. Et in hym. 53 (p. 553) ait: "Amor vos compellit fratres ut sustineatis narrationem dictorum eorum : dari entia cohibentia, planetas et zodiaci signa, corpus esse confectum ex malo, quod resurrectionem non est habiturum, animam esse ex septem, ne reliqua fusius referamus. Haec sunt quae Bardesanes exposuit in suis dictis„ ܚܘܒܐ ܠܟܘܢ ܐܚ̈ܝ ܕܬܣܝܒܪܘܢ ܐܠܨ ܡܫܬܥܝܢܘܬܗܘܢ . ܕܐܝܬ̈ܝܐ ܡܟܠ̈ܝܢܐ . ܟܘ̈ܟܒܐ ܘܡܘܠܫ̈ܐ . ܦܓܪܐ ܕܡܢ ܒܝܫܐ . ܘܡܣܬܟܠܢܘܬܗ ܠܩܝܡܬܗ . ܢܦܫܐ ܕܡܢ ܫܒܥܐ . ܘܫܪܟܐ ܕܠܐ ܢܦܫܛ . ܗܠܝܢ ܕܒܪ ܕܝܨܢ ܡܠܠ ܒܡܠܬܐ ܡ̈ܫܪܥܬܗܘܢ. Et in epist. ad Hypatium (edit. Overbeck p. 63) scribit Bardesanem docuisse "animam ex septem partibus fuisse commixtam atque infixam„ ܒܪ ܕܝܨܢ ܐܡܪ ܕܡܢ ܫܒܥܐ ܡ̈ܢܘܢ ܐܬܡܙܓܬ· ܢܦܫܐ ܘܐܬܩܒܥܬ·. Et in collectione carm. Nisib. hym. 45 (edit. Bickell p. 89) innuit ipsum statuisse animam esse ex entibus detersis atque venustis„ ܡܢ ܐܝ̈ܬܝܐ ܢܩ̈ܝܐ ܘܫܦܝܪ̈ܐ. Qui quidem textus luculenter ostendunt Bardesanem erroneam tenuisse sententiam de anima humana definienda.

h) Insuper praeter "elementa quinque„ profitebatur Bardesanes tamquam divinitates, uni deo supremo subditas, planetas quas "potestatem habentes„

ܫܠܝ̈ܛܢܐ vel "regentes„ ܡܕܒܪ̈ܢܐ appellabat (1), atque signa zodiaci (2). Hinc haud immerito s. Ephr. concludebat "Bardesanem quamvis ore unum professum fuisse Dominum, corde tamen legionem numinum coluisse„ (3). Similiter s. Epiphanius (haeres. 56) scribit "cum propter eos qui ab ethnicis esse dicuntur, quosque illi deos constituunt, genus istud protulerit (Bardesanes nullum aberrantium hominum opinioni locum reliquit„.

Hinc planetas ac signa zodiaci seu fatum (4) tantam edicebat habere vim in rerum humanarum eventus, ut ab ipsis prorsus pendere diceret paupertatem ac divitias, honores atque ignobilitatem, aegritudinem et sanitatem, prolem, aliaque varia appetenda (5). Insuper huius mundi moderamen tribuebat fato

---

(1) Cf. "leges regionum„ patrolog. syr. 11, 568, 572

(2) S. Ephr. 53 p. 553 : ܚܘܒܐ ܠܟܘܢ ܐܠܨ ܕܬܣܝܒܪܘܢ ܐܚ̈ܝ ܐܝܟ ܡ̈ܠܝܗܘܢ ܕܐܝܬܝ̈ܐ : ܡܟܣ̈ܢܐ. ܡܕܒܪ̈ܢܐ ܘܡܘܠܫ̈ܐ ... ܗܠܝܢ ܕܒܪ ܕܝܨܢ ܣܡ ܒܡܡܠܠ ܬܘܪ̈ܓܡܘܗܝ "Amor compellit vos fratres ut sustineatis eorum dicta : dari entia cohibentia, planetas, zodiaci signa. Haec sunt quae exposuit Bardesanes in suis dictis„. Et in hym. 51 p. 550. ܘܝܐ ܕܢܦܩ ܡܢ ܡܪܢ ܪܕܦ ܠܗ ܠܒܪܕܝܨܢ ܕܣܡ ܐܝܬܝ̈ܐ ܫܒܥܐ ... ܡܟܪܙ ܠܡܘܠܫ̈ܐ ܘܢܛܪ ܫܥܬܐ ܢܩܪ. ܘܡܥܕܠ ܫܒ̈ܥܝܬܐ ܘܨܝܕ ܠܥܕܢ̈ܐ "Vae prolatum a Domino insequitur Bardesanem qui statuit septem entia . . . . praedicat is zodiaci signa, observat horam, proclamat septenarias (planetas) captatque momenta„.

(3) P. 558 ܐܙܠ ܒܬܪ ܦܬܟܪܘܬܐ . ܠܓܝܘܢ ܛܥܝܢ ܒܠܒܗ . ܘܡܪܢ ܛܥܝܢ ܒܦܘܡܗ "Abiit (Bardesanes) post idolatriam, habens in corde legionem (numinum) ferens in ore Dominum„.

(4) In libro "leges regionum„ (patrol. syr. II p. 572) sic Bardesanes definit fatum. Fatum, ait, est ordo cursus qui a deo datus est planetis potestatem habentibus atque elementis. Porro s. Ephraem testatur (hym. 6 p. 452) Bardesanem fatum vulgare astrologicum reprobasse atque aliud illo maius induxisse.

(5) In lib. "leges regionum (l. c. p. 571) ait Bardesanes : ܗܟܢܐ ܡܫܬܟܚܐ ܕܥܘܬܪܐ ܘܐܝܩܪܐ ܘܚܘܠܡܢܐ ܘܟܘܪܗܢܐ ܘܒܢܝ̈ܐ ܘܪ̈ܓܝܓܬܐ ܕܡܫܬܥܒܕܝܢ ܬܚܝܬ ܚܠܩܐ ܡܫܬܟܚܝܢ ܘܠܐ ܗܘ̈ܝ ܕܫܘܠܛܢܢ ܕܝܠܢ "Ita res se habet, ut divitiae, honores, sanitates, aegritudines, proles et varia appetenda subiaceant fato, nec sint nostrae potestatis„.

affirmans hoc efficere ut iuvenes sint duces seniorum, stulti sapientium, et ut belli tempore debiles ducant strenuos atque ignavi fortes (1). Imo planetis atque zodiaci signis adscribebat animae corpus informantis dotes mentisque cogitatus (2). Et quod maioris est momenti docebat "a fato procedere odium, disiunctionem quoque concubitus, omnem pollutionem ac abominationem, quas sub praetextu concubitus patrant homines secundum suam concupiscentiam ... e fato procedere gulam et luxuriam haud necessariam„ (3). Tandem in carmine, cuius initium ܒܪ ܕܝܨܢ ܗܐ ܫܢܐ (En insanit Bardesanes!) adversus eundem propugnat, quod Adamo quidem quia reus evaserat mortis poenam iustitia divina inflixit, Abeli autem occisionem intulit Cain unice ausu sui liberi arbitrii, concluditque nullatenus admittendum esse horam interficiendi Abelis congruisse ex fato cum voluntate Caini ipsi necem inferentis (cf. edit. nostr. carm. s. Ephr. II, 128, et Overbeck s. Ephr. op. sel. p. 133). Merito itaque s. Ephr. in ultima stropha hym. 1 (p. 39) declarabat "Bardesanem in suo septo non veritatis alumnos prophetas, sed libros de zodiaci signis tractantes assidue perlegisse„ (4)

---

(1) In lib. "leges regionum„ (1. c. p. 576) ait Bardesanes : ܡܛܠ ܕܝܢ ܟܕ ܕܢܗܘܘܢ ܛܠܝܐ ܪܫܐ ܠܣܒܐ . ܘܣܟܠܐ ܠܚܟܝܡܐ . ܘܢܕܒܪܘܢ ܒܙܒܢܐ ܕܩܪܒܐ ܡܚܝܠܐ ܠܚܝܠܬܢܐ . ܘܕܚܠܐ ܠܓܢܒܪܐ .

(2) ܚܠܩܐ ܛܟܣܐ ܗܘ ܕܡܪܕܝܬܐ ܕܝܗܝܒ ܠܫܘܠܛܢܐ ܘܠܐܣܛܘܟܣܐ ܡܢ ܐܠܗܐ ܘܐܝܟ ܗܢܐ ܠܗܘܢܐ ܡܪܕܝܬܐ ܘܛܟܣܐ ܡܫܬܚܠܦܝܢ ܗܘܢܐ ܕܢܚܬܝܢ ܠܢܦܫܬܐ . ܘܡܫܬܚܠܦܝܢ ܢܦܫܬܐ ܒܡܚܬܗܘܢ ܕܠܘܬ ܦܓܪܐ "Fatum est ordo cursus qui a deo datus est (planetis) potestatem habentibus atque elementis, et ad hunc cursum atque ordinem mutantur intelligentiae (i. e. cogitatus) cum illabuntur in animas atque mutantur animae cum illabuntur in corpora„ (ibid. 572)

(3) ܡܢ ܚܠܩܐ ܕܝܢ ܗܘܐ ܣܢܐܬܐ ܘܦܘܪܫܢܗ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܟܠܗ ܛܢܦܘܬܐ ܘܢܕܝܕܘܬܐ ܗܝ ܕܒܥܠܬܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܥܒܕܝܢ ܒܢܝܢܫܐ ܒܪܓܝܓܬܗܘܢ . . . ܘܡܢ ܚܠܩܐ ܗܘܝܐ ܐܟܘܠܘܬܐ ܘܐܣܘܛܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܒܥܝܐ (Ibid. 575)

(4) ܠܟܘܠܗܘܢ ܡܢ ܗܠܝܢ ܡܫܡܥ ܕܒܪ ܕܝܨܢ . ܠܐ ܠܫܪܪܐ ܩܪܐ ܗܘܐ ܒܗ . ܒܥܢܐ ܕܝܠܗ ܣܘܦܐ . ܟܬܒܐ ܗܘ ܕܡܘܠܫܐ . ܩܪܐ ܒܗ ܒܟܠ ܥܕܢ .

h) Nota Valentini errorum, quibus veteres scriptores dixerunt fuisse maculatum Bardesanem (vid. supr. p. XLIII), in eo praecipue consistit, qnod is asseruerit in divinitate emanationes atque productiones ex quodam connubio, sicuti declarat s. Epiphanius (haeres. LVI, 2). Iamvero id innuit s. Ephr. in hym. 3 (p. 444), ubi ait "Marcion et Bardesanes testantur atque impie proclamant creatorem haud unum esse, tribuentes creatoris opera rebus creatis, et (e converso) filium ac spiritum s. commiscentes creaturis„ (1). Speciatim vero in hym. 55 (p. 557, 558) delineat haud obscure systema Bardesanis de emanationibus divinis productionibusque, allegans ex quodam eiusdem hymno "arcano„ quem in conventibus eius asseclae decantabant brevia excerpta. Nimirum :

1) Initio innuit ipsum exhibere spiritum s., quem appellat "matrem vitae„ tamquam coniugem patris, et ex tali coniugio notat eum fingere natum filium vitae, i. e Iesum s. (2) "Filii, ait, Bardesanis delirant quasi pueruli asserentes aliquid defluxisse atque delapsum esse ex illo qui dicitur pater vitae, unde mater vitae concepit peperitque filium absconditum, qui vocatus est filius vitae, Iesus s. . . . qui natus est ex mystico connubio amborum„ (3).

---

(1) ܡܪܩܝܘܢ ܘܒܪܕܝܨܢ ܡܣܗܕܝܢ ܘܡܨܚܝܢ ܕܠܐ ܚܕ ܒܪܘܝܐ ܗܘ . ܒܥܒܕܘܗܝ ܕܒܪܘܝܐ ܡܚܠܦܝܢ ܗܘܘ ܠܒܪܝܬܐ . ܘܒܪܐ ܘܪܘܚ ܩܘܕܫܐ ܡܚܠܛܝܢ ܗܘܘ ܒܒܪܝܬܐ .

(2) ܒܢܝܗܘܢ ܕܒܪܕܝܨܢ ܢܫܬܥܘܢ ܐܝܟ ܛܠܝܐ ܕܐܡܪܝܢ ܚܕܐ ܡܕܡ ܕܪܐ ܘܢܦܠ ܡܢ ܗܘ ܐܒܐ ܕܚܝܐ . ܘܐܡܐ ܕܚܝܐ ܒܛܢܬ ܒܪܐ ܟܣܝܐ ܘܝܠܕܬܗ . ܘܐܬܩܪܝ ܒܪ ܚܝܐ . ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ . . . . ܡܢ ܚܒܠ ܐܪܙܢ ܡܫܝܚ . ܒܙܘܘܓܐ ܕܬܪܝܗܘܢ .

(3) Videtur D. F. Nau in praefatione ad lib. "leges regionum„ (patr. syr. II, p. 505) hunc locum s. Ephraemi minus recte intellexisse cum asseruerit "Bardesanitas, iuxta s. Ephr., duplicem praedicare Christi naturam, divinam nempe et humanam a duplici principio generationis„. Atqui s. doctor in hym. 55, de quo agitur, ad oppugnandam eorum stultam impiamque sententiam de generato filio ex connubio matris vitae cum patre vitae, ita arguit : "Si nec corpus Domini ex duorum commercio generatum fuit, quanto magis divina ipsius purissima natura lumen de lumine debeat abhorrere a quolibet connubio„ ? ܠܟܝܢܗ ܡܪܝܪܐ ܟܡܐ ܕܡܢ ܢܘܗܪ ܢܚܬ ܒܙܘܘܓܐ ܕܬܪ̈ܝܢ .

2) Hinc ulterius horrens refert Bardesanem fingere spiritum s. peperisse geminas puellas, excerpitque ex Bardesanis hymno arcano verba quibus divina genitrix inducitur blandiens puellis (1). Haud obscure autem significat eundem censuisse unam geminarum filiarum terrestre portentum, alteram imaginem quam expressit spiritus s. semet in aquis introspiciens (2).

3) Bardesanes, qui forsan, non secus ac auctor sectae Cucitarum commentus est spiritum s. seu matrem vitae a monstro terrestri vel simulacro aquario fuisse coercitam a regressu ad patrem vitae, fingit illam conqueri cum patre quod ipsam deseruerit (3).

4) Ibidem s. Ephraem innuit Bardesanem, qui assimilabat patrem vitae soli, vitae matrem lunae, quae, iuxta loquendi modum veterum astronomorum, in fine cuiusvis mensis quasi intrans ad solem ex eo desumit lucem (4), quam

---

ܘܡܛܠ ܕܐܦ ܦܓܪܗ ܠܗ ܡܢ ܠܐܢܫ ܡܟܝܢ. ܟܡܐ ܕܐܡܪ ܡܕܝܨܢ ܗܘܐ ܒܐܝܕܐ ܚܒܠܐ. ܕܢܘܗܪܐ ܗܘ ܕܡܢ ܢܘܗܪܐ. Iamvero tum iuxta doctrinam orthodoxam, tum iuxta dictum Bardesanis quod spirituale fuerit corpus salvatoris, eius corpus minime fuit procreatum ex connubio duorum.

(1) ܐܡܪܝܢ ܕܪܘܚ ܩܘܕܫܐ ܠܐܘܠܝܢ ܒܢ̈ܝܢ ܡܟܝܠ... ܘܐܡܪܐ ܐܡܬܝ ܐܚܙܐ ܠܟܝܢ ܚܕܝ̈ܢ ܒܫܡܫܐ ܘܠܒܢܝ. ܘܚܙܘܪ ܒܓܠܝܬܐ. ܒܢ̈ܬܐ ܗܝ ܕܟܠ ܒܬܪܥܝܗܝ ܡܫܒܚܐ ܘܡܪܝܡܐ.

(2) ܠܐܘܠܝܢ ܒܢ̈ܝܢ ܡܟܝܠ. ܚܕܐ ܒܚܠܠܐ ܕܝܒܫܐ. ܚܕܐ ܕܪܘܚܐ ܕܡ̈ܝܐ. ܘܚܘܝ ܒܟܠܐ ܠܟܝܢ ܕܐܠܐ ܝܕܥ ܗܠܝܢ ܕܡܫܝܚܐ ܠܟܠܗ ܡܢܗ. ܟܡܐ ܟܠܗ ܚܕܐ ܘܫܟܠܐ ܒܟܠܗ ܕܪܘܚ ܩܘܕܫܐ. ܡܢܗ ܕܡܫܝܚܘܬܐ Cf. sup. p. XLII, ubi ex Theodoro bar Khuni (edit. pognon p. 144) adnotavimus Cucum seu Cucaiam effutiisse deum suam imaginem vidisse in aquis maris quae dicta est mater vitae, et eundem procul conspexisse monstrum vesanum quod matrem vitae coercuit a regressu ad deum etc.

(3) ܕܝܢ ܒܪ ܕܝܨܢ ܨܥܪ ܫܡܐ ܕܪܘܚ ܩܘܕܫܐ ܪܘܚܐ... ܠܟܠܗܘܢ ܡܪܢܝܬܐ ܗܢܘܢ ܒܟܢܫܐ. ܕܗܝ ܡܢ ܕܐܡܪܐ ܐܠܗܝ. ܘܡܠܟܝ ܫܒܩܬܢܝ ܠܒܠܚܘܕܝ "Bardesanes probris affecit nomen decorum spiritus s. . . Satis est ad arguendam illorum impudentiam hymnus arcanus quem canunt, ubi illa dicit : Deus meus et rex meus me solam dereliquisti„. Cf. notam praecedentem.

(4) ܒܫܡܫܐ ܘܣܗܪܐ ܚܙܐ. ܒܣܗܪܐ ܡܕܡܐ ܠܐܡܐ ܕܚܝ̈ܐ ܘܒܫܡܫܐ ܠܐܒܐ. ܘܒܫܘܠܡ ܝܪܚܐ ܥܠܐ ܠܘܬ ܐܒܘܗ ܘܡܫܬܘܕܝܐ ܘܩܢܝܐ ܡܢܗ ܢܘܗܪܐ "Respiciens solem et lunam,

diffundit, excogitasse matrem vitae congredi cum patre vitae singulis mensibus et procreare plures deos deasque quas in memorato hymno arcano ita is salutat : "Sit laus vobis domini mei, coetus deorum„ (1).

5) Tandem addit Bardesanem commentum esse nefandas expositiones de paradiso deliciarum quem confixit suos deos, patrem vitae et matrem vitae, suo cuoniugio plantasse (2) etc.

6) Praeterea animadvertendum est in lib. "leges regionum„ n. 9 eundem asserere angelos malos cecidisse de coelo et commercium habuisse cum filiabus hominum (3). S. Ephr. in hym. 19 (p. 477) refert errantes censuisse angelos descendisse et connubium iniisse„ (4). Cf. h. 7 p. 455.

Ex hactenus breviter indicatis adnotationibus perspicue apparet ad purgandum Bardesanem ab haeresi irrita prorsus esse conamina scriptorum quorum nonnulli infensi animi vel etiam malae fidei reum ausi fuerunt dicere s. Ephraemum in insequendo Bardesane tamquam haeresiarcha.

---

illi assimilavit patrem, isti matrem, masculos et feminas dixit deos eorumque procreationes, et pleno ore impia protulit verba extollens plures deos„ Cf. biographiam Bardesanis apud Michael. patr. Iacobit. ubi ait "sicuti luna suum lumen per singulos menses exuens intrat ad solem, ita mater vitae exuens vestimenta sua intrat ad patrem per singulos menses, commercium habet cum illo et generat septem pueros qui sunt octoginta quatuor per singulos annos„.

(1) ܫܘܒܚܐ ܠܟܘܢ ܡܪܝ. ܟܢܫܐ ܕܐܠܗܐ. (Ibid. 558)

(2) ܐܘܪܝ ܒܦܪܕܝܣܐ ܐܣܝܪܐ ܕܒܙܘܘܓܐ. ܕܐܠܗܐ ܡܫܘܐ ܫܡܗܘܢ. ܐܝܟ ܠܟܘܢ ܐܦ ܐܡܪܐ. ܒܐܘܠܨܢܗܘܢ ܢܦܩܘܗܝ. ܒܓܘܫܡܗܘܢ ܥܡܠܬܗܘܢ (Ibid.)

(3) ܐܦ ܡܠܐܟܐ ܠܗ ܠܐ ܐܢܫܝܢ ܗܘܘ ܚܐܪܘܬܐ ܕܢܦܫܗܘܢ ܠܐ ܡܫܬܠܛܝܢ ܗܘܘ ܟܕ ܥܡ ܒܢ̈ܬ ܐܢܫܐ ܘܠܐ ܚܛܝܢ ܗܘܘ ܘܠܐ ܢܦܠܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܐܬܪܘܬܗܘܢ vid. quae sup. p. XXXIX notavimus de coelicolorum delapsorum coniugio cum feminis in terra, unde dicuntur nati gigantes. Cf. lib. Henoch c. VI, VII.

(4) ܡܠܐܟܐ ܕܢܚܬܘ ܘܐܙܕܘܓܘ ܐܝܟ ܕܫܡܥܢܐ... ܡܠܐܟܐ ܐܡܪܘ

X — XII Recensentur brevissime quae saec. IV praevaluerunt haereses Arianorum, Eunomianorum et Macedonianorum, atque indicantur errores quibus inter se eaedem conveniunt quibusque ab invicem discrepant.

XIII Quod de Montanistarum dicitur quatuor quadragesimis concordat cum iis quae traduntur a vetustioribus scriptoribus de xerophagiis atque rigidioribus ab ipsis observandis ieiuniis. Singulare tamen prorsus est quod in tractatu nostro refertur Montanistas scilicet divam nuncupare Mariam, atque filium dei censere natum ex commercio inito ab archonte cum eadem. Videtur auctor Mesopotamenus perperam sectae illi antiquiori quae exorta erat in Phrygia tribuisse commentum quod potius Basilidi adscribendum esset.

XIV Videntur qui dicuntur Timothaeistae iidem esse ac "apostolici" qui teste s. Epiphanio (haeres. 61) solos complectebantur qui bonis omnibus renuntiabant.

XV Novatiani a presbytero quem Cornelius papa an. 218 excommunicavit Novato seu Novatiano addicto philosophiae Stoicae denominantur et dicuntur Cathari i. e. mundi, quia docebant nonnisi animas mundas inter asseclas esse admittendas. Hanc ob causam poenitentes excludebant a suis coetibus, respuebantque peccatorum remissionem. Propagati autem erant per Phrygiam atque Asiam minorem. (cf. Eus. H. E. VI, 43 etc.)

X — XII. Recensentur brevissime quae saec. IV praevaluerunt haereses Arianorum, Eunomianorum, et Macedonianorum, atque indicantur errores quibus inter se sectae conveniunt quibusque ab invicem discrepant.

XIII. Quod de Montanistarum dicitur quatuor quadragesimis concordat cum iis quae traduntur a vetustioribus scriptoribus de xerophagiis atque ristdicibus ab ipsis observandis ieiuniis. Singulare tamen prorsus est quod in tractatu nostro refertur Montanistas scilicet divam nuncupare Mariam, atque filium dei censere natum ex commercio initio ab archonte cum eadem. Videtur auctor Mesopotamenus perperam sectae illi antiquiori quae exorta erat in Phrygia tribuisse commentum quod potius Basilidi adscribendum esset.

XIV. Videntur qui dicuntur Timotheistae idem esse ac Apostolici, qui teste s. Epiphanio (haeres. 61) solos complectebantur qui bonis omnibus renuntiabant.

XV. Novatiani a presbytero quem Cornelius papa an. 218 excommunicavit, Novato seu Novatiano addicto philosophiae Stoicae denominantur et dicuntur Cathari i. e. mundi, quia docebant nonnisi animas mundas inter asseclas esse admittendas. Hanc ob causam poenitentes excludebant a suis coetibus, respuebantque peccatorum remissionem. Propagati autem erant per Phrygiam atque Asiam minorem. (cf. Eus. H. E. VI, 43 etc.)

I

Fragmentum anonymi de haeresibus (1)

(ex cod. syr. vat. 190)

. . . .

proindeque tria capita. Videtur componi ex . . . . materia, forma et privatione. Materia quae conficitur, et forma . . . minime tamquam ex aliquo constituitur, sed . . . . et universam institutionem libertatis hominis . . . . et horoscopos statuerunt illud, cum aiunt, omne quod fuit decretum idipsum est, et omne quod fuit determinatum idipsum impletur, et a nemine rescinditur neque ab ipso Merodach domino et deo, quem dicunt super omnes esse deos scilicet solem, lunam et reliquas alias sttellas, quae ab ipsis nominantur, i. e. Aris, Hermes, Bel, Belti et Ceon.

Haec est summa praecipua ipsorum commenti praeter zodiacos (2) horoscoporum qui sunt mansiones istarum stellarum quos eorundem error fingit.

De errore magorum (3)

Isti quoque, qui per orientis dominium sunt diffusi, suum errorem receperunt ab insulso Zoroastre . . . . , qui edoctus fuit linguas hebraicam et aegyptiacam. Ex septem linguis excerpsit dicta in quibus recondidit mortis

(1) Fragmentum istud duobus foliis constat initio codicis adnexis. Quaedam vocabula ibidem ita obliterata sunt, ut legi nequant : pro iis puncta posuimus.

(2) Pro ܐܣܩ̈ܝܐ legendum ܐܘܪܩܝܐ "zodiaci".

(3) Cf. op. scholion Theodori bar Khuni l. XI de haeresibus apud Pognon, Inscriptions mandaïtes. Append. II p. 111.

venenum, eaque transmisit magis, qui, ut ita loquar, non intelligunt quod ipsi dicunt, neque quod ipsorum magister effutivit.

Huius autem impietas manifesta est. Statuit enim tres sibi oppositos iamquam principes huius mundi, suntque Hormazdas, Ahramandas et Satanas, quos inquit natos ex Zeruan deo. His principibus enumeratis sic res creatas tribuit, nimirum : lucem Hormazdae, tenebras Ahramandae; vitam Hormazdae mortem Ahramandae; sanitatem et opes Hormazdae, aegritudinem et paupertatem Ahramandae; animalia autem similiter huic et illi, homines quidem et quaedam ex animalibus assignat Hormazdae, serpentes vero, scorpiones, culices, pulices, muscas et universae terrae insectas Ahramandae. Probe insuper noscis eundem deos recensere mares et foeminas. Quemvis ex mensium diebus dicit esse deum, primo incipiens ab Hormazda, enumeratque triginta deos. Vocat et deos elementa scilicet ignem, aquam, terram et aerem, quos tamen dicit esse, quoad excellentiam et divinitatem, inferiores diis Aschukar, Paschukar (1), Zerukar et Zeruan. Fuit autem, ait, Paschukar qui genuit Hormazdam.

Illi porro adversantur discipuli eius, qui nequaquam aiunt Hormazdam et Ahramandam ab uno deo natos esse ut .... entium sibi invicem oppositorum et contrariorum : sed .... cum eis vi suscitavit quoque erroneum commentum chaldaeorum cum adoratione astrorum, fortuna et fati decreto. Tale est deliramentum horum erroris.

Modo tempus est ut dicamus de doctrinis haereticorum, qui post adventum Domini nostri eiusque in coelum ascensionis apparuerunt.

Doctrinae haereticorum quae ethnico more pullularunt post
Domini nostri in coelum ascensionem in corpore suae humanitatis

(Dominus) equidem praeliatus est cum principe huius mundi, profligavitque eius dominium. Homines docuit suam praedicationem, morte sua

(1) Apud Theodorum bar Khuni Parchukar ܦܪܫܘܟܪ

mortem interemit, resurrectione sua nostrum genus resuscitavit, adscenditque in coelum ut locum pararet, ut idem dixit, discipulis suis. Attamen adversarius et inimicus nostri generis suum errorem, qui commentum ethnicorum superat, prodidit per illos qui innocentium agnorum personas et vellera praeseferebant, cum intus reapse lupi rapaces essent, ut ipse Vivificator noster praedixerat.

Simon magus

Primo autem Satanas sibi habitaculum sumpsit pollutum illo perdito dignum Simonem inquam (magum) qui tempore apostolorum locutus est verbum dolosum adversus Petrum principem apostolorum. Is baptizatus est a Petro apostolo uti nobis innotescit ea actis apostolorum (VIII, 13).

Hic itaque de semetipso dixit se esse virtutem magnam Dei (ib. 9) et commentus est duos fuisse principes factores mundi, bonum scilicet qui genuit (spiritus) et malum a quo profecta sunt corpora. Ait insuper Vivificatorem nostrum minime sumpsisse corpus neque induisse humanitatem, sed in similitudine apparuisse mundi, neque in veritate eundem visum fuisse. Quoniam porro Filii corpus arbitratur (minime verum) eiusdem resurrectionem nullatenus fatetur. Neque credit in iudicio venturo.

Iamvero coeteri haeretici, qui post eum in mundo apparuerunt, ex ipso receperunt, illiusque impietati assensi sunt, quamvis ab eodem dissensi sint peculiari quadam nota. Omnes enim negant Filium Dei induisse corpus nostrum, neque profitentur fore iudicium, neque credunt in resurrectione, statuuntque duo principia ad exemplum illius erroris.

Deinde Marcionis error (1)

Post istos apparuit impura doctrina Marcionis . . . qui aberravit et sicuti

(1) Cf. Theodorum bar Khuni in cit. op. p. 119

sodales et ipse quoque deliquit. Dixit enim antequam omnia fierent exstitisse tria principia bonum et malum cum iusto . . . . et malum vocat materiam, iustum deum legis, quem appellavit extraneum. Tres ait esse coelos, excelsum

. . . .

II

Severi Antiocheni homilia CXIX
(Ex cod. syr. vat. 143)

Super convivium nuptiale a Ioanne Evangelista commemoratum, quod celebratum est in Cana Galilaeae (II, 1 seqq.) cui interfuit Christus, qui aquas immutavit in vinum, et super matrimonium quod sit honorabile.

Disputatur autem adversus quemdam nomine Romanum, qui superius ex evangelio loci citati verba blasphematorie et contradictorie adulteravit.

Si quis per librorum a Deo inspiratorum amplitudinem, maxime vero s. Evangelii, expandit mentem, plurimas reperiet vias ad honeste vivendum, quae scilicet ex undique ad Deum adducunt cum sint plenae sanctitate, disponunt ad futurum saeculum, vitamque sempiternam parant. Honeste enim vivere in eo consistit, quod homo minime a Deo procul excidat. Idem praeterea videtur sibi audire quae Deus protulit per Ieremiam prophetam ad universos qui audire volunt hisce verbis: "State super vias et videte, et interrogate de semitis aeternis Domini, et videte quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis sanctitatem animabus vestris„ (VI, 16).

Ecce enim vero Dei et Patris Verbum, qui olim per prophetas locutus est, novissimo tempore incarnatus et homo factus ineffabiliter sed et immutabiliter atque vere, per Spiritum s. ex substantia sanctae Deiparae semper virginis, viam exinde invexit virginitatis, quae stantem quidem hunc mundum in filiorum procreatione sub illo iussu divino "crescite et multiplicamini„ continet perficitque, eundem tamen transfert ad alterum mundum, quem resurrectio novum prodit. In coelis enim iidem ipsi homines tamquam angeli evadunt, quin opus habeant coniugio ut perpetuo permaneant, neque futurum est ut

iidem moriantur. Cum autem plane noscat quantum coelibatus vita excelleat quamque difficile sit ordinare illam, fert, utpote Deus, legem de iis quae viribus naturae nostrae congruunt.

In nulla profecto scripta lege decernitur observanda virginitas : attamen proba res est ut eadem voluntarie colatur, ex eo quod talis ea sit efficiatque hominem ut par evadat angelis. Porro (Christus) excupit sane (virginitatem servandam), nequaquam vero ad illam impellit, et amore allicit, minime autem vi legis ad eam necessario cogit. Quae enim per modum legis statuuntur, sunt omnino et ex necessitate observanda : quae vero ex zelo emanant, extra legem in libertate sunt volentium.

Quamobrem Paulus morem gerens Dei et Magistri sui non iam per modum praecepti sed consilii ea de re scribit hortatum quem sic exhibet : "De virginibus autem praeceptum Domini non habeo : consilium autem do„. Quodnam consilium das ? prosequitur : "Bonum est viro ad mulierem non accedere„; et rursus : Bonum est viro sic esse : alligatus es uxori ? noli quaerere solutionem; solutus es ab uxore ? noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccas, et si nupserit virgo viro non peccat : tribulationem tamen carnis habebunt qui huiusmodi. Ego vero vos commisereor„ (1 Cor. VII, 25 28). Tribulationem carnis vocat sollicitudines et curas saeculi quae connubio associantur. Ait enim : "Qui est sine uxore sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Domino, qui autem uxorem ducit, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori„ (ib. 32, 33). Haec autem dicit non iam ut quis exinde contaminatum atque immundum concludat esse connubium. Imo apostolus illud prorsus purum agnoscit : de coniugio enim viri infidelis cum muliere fideli et vice versa ait : "sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem„ (ib. 14). Idem quoque scribit alibi : "honorabile est connubium in omnibus et thorus eorum immaculatus est„ (Heb. XIII, 4). Quibus sententiis illud sibi proponit demonstrare et plane docere coniugium nempe honorabile esse et nullatenus a Deo divisum.

Dominus quoque et Deus noster Jesus Christus, qui ex virgine in carne natus est, suamque genitricem servavit virginem etiam post partum, patefecit inauguravitque virginitatis viam mundo. Hinc laetificare voluit Canae Galilaeae convivium nuptiale cui et aderat virgo ipsius mater nec non discipuli. Ex motivo simplicis dilectionis et saeculi amicitiae tamquam noti fuerunt iidem ad convivium invitati. Ast ille, qui omnia sapienter operatur, auditus fuit secundum oeconomiam benedicere illi nuptiali convivio, ut ibidem primum signum seu miraculum patraret. Id prae coeteris narrat solus Ioannes evangelista, rerum divinarum praeco, qui virginitate excellebat ideoque, cum coniugii consortii nescius per totam vitam remanserit, peculiari dilectione a Iesu fovebatur. Si porro impurum censendum fuisset connubium, ex necessitate sane praetermisisset sub silentio narrationem convivii propter illos qui connubium abhorrentes angelorum exemplum sequebantur.

Eia itaque videamus quodnam signum operatus sit Iesus, qui illud nuptiale convivium honestabat. "Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent„ (Io. II, 3). Porro constat illos, qui ipsum ad convivium vocarunt, cogitatum excelsum Deoque dignum de eo nullatenus habuisse. Secus, si nempe illum uti merebatur existimassent, iidem animadvertentes vini deficientiam illum rogassent ut eandem impleret. Non enim supplex rogat ille qui rem possidet, neque proinde opus habet ut recipiat. Sed, uti dixi, humano sub aspectu ipsum cognoscebant, ideoque ad convivium invitarunt, quin ullo pacto intuerentur excelsam ipsius divinitatem. Maria vero, ex commiserationis sensu permota, ad Iesum porrexit suam petitionem : ast ille, ne videretur vanam gloriam velle captare, petitionem propulsavit. Una sane cum matre ita ostentationem intuebatur, ut mater quidem specie tenus petitionem perhibere, ille vero ad patranda miracula ita accedere videretur, ut simul longe ab eiusmodi cogitatione audientes cohiberet. Idcirco ut patefaceret minime velle ostentationem sed omnia operari providenter et utiliter, matri fortiter respondit, ut auditores doceret quod verum erat, ut dixi, nullatenus autem ut suam genitricem iniuria afficeret. Dixit enim ei "quid est mihi et tibi mulier ? nondum venit

hora mea„ (ib. 4). Quod autem talia verba non fuerint obiurgationis, sed prolata fuerint ad docendos adstantes extraneos, demonstravit ipsa illius mater, cum nullatenus tamquam reprehensa conturbata fuerit vel extimuerit, neque uti confusa siluerit, neque ex formidine consternata fuerit. Quin potius plane cognoscens animum Iesu providum, non aliter ac si ab illo nihil omnino sibi dictum fuerit, inquit illis qui convivio ministrabant: "facite quod dicet vobis„ (ib. 5). Expetebat nimirum, ut is patraret aliquid maximi momenti quod Deo dignum esset. Adversus eiusmodi animum magnalium expetendorum ipse responsum idoneum dedit dicens: "mondum venit hora mea„. Putasne me properare ad patranda magna signa? Scito eiumodi opera debitis temporibus esse perficienda, neque capillus temporarius absque mea providentia atque dispositione cadit. Siquidem per mensuram progressus corporis staturae manifesto meam divinitatem, ita ut cum reali incremento staturae videar progredi in sapientia gratiae atque miraculis et signis. Has gratias concedo equidem, attamen illas, prouti oeconomiae regula expostulat, successive notas facio, ad temporis indivisibile momentum usque. Ita sane ea quae ad oeconomias divinas spectant sese extendunt ad tenuissima quae nullatenus perceptibilia sunt, quaeque difficulter induunt eiusmodi sensum. Alio loco evangelii de Iudaeis refertur quod "nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius„ (Io. VII, 30). Alibi dicitur: "venit hora ut clarificetur filius hominis„ (Io. XII, 23): videlicet donec ad finem perducta fuerit oeconomia, nulla omissa re earum quae sapientiae divinae erant perspectae, a nemine apprehendi ille poterat, ideoque in medio eorum, cum ipsum lapidarent, is transibat. Postquam vero omnia attigerunt finem consummata fuerunt, et, ut ita dicam, ad fundum pervenerunt ea quae ipsi, qui mundum regit recte et perfecte acta esse visa sunt, tunc tantum semet voluntarie tradidit is qui dixit: "potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo sumendi eam ex metipso„ (Io. X, 18). Profecto si, iuxta commenta ethnicarum fabularum obnoxius fuisset legibus necessariis horarum, nullatenus ita fuisset locutus. Simili ratione quamvis, memorata de causa, ad suam matrem dixerat: nondum venit hora mea,

nihilominus absque mora signum illud patravit, quod nunquam certe patratum fuisset, si is obnoxius fuisset expectandis horis.

Per memoratum responsum nos praeterea docet parendum non esse genitricibus, si quidpiam iubeant quod sit inopportunum vel, quod absit, contineat aliquid nefandi : curandum est potius nobis ut illis faciamus satis servatis servandis, ut praestemus scilicet quod illae iubent, cum timore tamen Dei, vel alio modo conformi iustitiae. Neque decet ut deseramus illas angore affligi propter mandatum illud : "honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene tibi sit, et sis longevus super terram„ (Ephes. VI, 2).

Accurrate scrutanti verba Deiparae innotescit eandem, etiam postquam Filium peperit et ex quo oeconomiae mysteriis ministraverit, fuisse plenam Spiritu s. et praecognovisse quod erat futurum. Erat nempe prophetissa uti dixit Isaias : "et accessi ad prophetissam„ (Is. VIII, 3) Nisi enim res ita esset, quomodo illa haud censuisset Iesum sine ullo opere, ex nihilo seu ex ulla visibili re posse in medium producere vinum ? Ast quoniam praenoscebat ipsum iussurum fore ministros ut implerent hydrias aqua, ea de causa ut scilicet ille aquas immutaret in vinum, ipsa quoque eisdem ministris iubens ait : "quodcumque dixerit vobis facite„. Communis itaque erat praescientia Iesu et ipsius (i. e. Mariae) : Iesu quidem utpote Dei, ipsius vero utpote a Deo inspiratae seu utpote prophetissae.

Deinde miraculum, quod patrare sibi proponebat voluit, curavitque removendum esse a cuiusvis phantasiae existimatione. Si enim ex nihilo scaturire fecisset et apparere mirabiliter vinum inter convivas, isti nequaquam in ipso fidem habuissent, sed potius excogitassent id esse phantasma, deceptionem oculorum et gustus per diabolicam illusionem, vel non secus ac mirandorum auctores in theatro mimico illudere solent. Ideo quidem deficientiam vini protraxit ut convivae illi, temporis intervallo quod fluxit, experirentur se indigere vino, et consequenter minime deceptionem esse arbitrarentur miraculum patratum, sed illud reapse tale esse discerent. Nequaquam ergo cunctatus est ut expectaret horam (decretam). Quomodo enim ille, qui est opifex mundi, attendisset

2

opportunitatem horae, atque eiusmodi ineptias comprobasset. Aquam igitur immutavit in vinum ut intercluderet locum accusationi phantasiae, simulque ut ostenderet se omnium rerum esse factorem haud minus quam si ex nihilo vinum fecisset. Ille enim qui in vinea rorem, qui nil aliud est quam aqua, convertit in vinum, is ipse rorem quoque in malo arbore facit malum, in ficu ficum, et eundem rorem transmutat in quemlibet gustum.

Contemplare quoque quomodo multiplici apparatu amplificat miraculum, eidem consistentiam undequaque procurat, removetque procul ab ipso quamvis fallacis phantasiae suspicionem. Ait enim evangelista : "erant ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus : implete hydrias aqua ad summum„ (Io. II, 6, 7). Siquidem lex Mosaica praescribebat ut, qui adpropinquat ad aliquid contaminatum, suas lavaret vestes seque ablueret aquis. Exhinc cum eiusmodi purificatio semper urgeret, Palestina autem valde esset sicca, neque ex fontibus aut fluminibus potaret, necessitati purificationis aquis consuluit per huiusmodi hydrias, quas ex puteis vel cisternis aqua replebant atque in praefatum finem parabant. Praesto itaque erant hydriae illae commodo Iudaeorum ut sic sese absque mora purificarent. Contigit autem casu ut eaedem vacuae essent tunc temporis, ideoque Iesus iussit ut illas aqua implerent. Iamdiu aquis continendis eaedem inserviebant, neque ullum in eis erat odoris vini indicium. Si e contra ut alios urceos implerent iussisset, dicere quis potuisset aquas in illos urceos immissas ex foece quae in iisdem inhaerebat suscepisse vini saporem, atque convivas iampridem inebriatos amisisse, ebrietatis causa, saporis facultatem, proindeque illas aquas arbitratos esse vinum. Vide igitur quomodo ex undique omnino aufertur hallucinationi praetextus. Non fuerunt porro discipuli, queis iussum fuit hydrias praefatas implere, sed ministri illi, extranei sane testes, qui nullo pacto proferre poterant simulatum testimonium. Neque quascumque hydrias, sed illas diuturno usui (purificationis) destinatas, impleruut aquis et ad summum usque, ut ne minimam quidem vini immixtionem suscipere possent. Tunc ait Iesus : "haurite nunc et ferte

architriclinio, et tulerunt„ (ib. II, 7). Architriclinius porro non est unus ex iis qui recumbebant super stratum, sed fuit praepositus triclinii seu convivii cubiculi, cui incumbebat onus, ut a cibo abstinens, circumspiceret quae sursum quaeque deorsum, coquis et pincernis imperaret, cuncta ordinaret eum in finem ut convivas sua cura delectaret. Iussit itaque Iesus ut primitias aquarum in vinum immutatarum offerrent huic praesidi, cui vigil erat mens et sana facultas gustus, testatusque est non solum illud vinum esse, sed et optimum. Sic enim sponsum allocutus est : "omnis homo primum bonum vinum ponit, et, cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc„ (ib. II, 10). Haec consignavit evangelium ad explanandam narrationem praeclari illius miraculi, quod et extranei adspexerunt.

Iis autem qui altitudinem sensus, modo utique imperfecto, penetrare valent, (nemo est enim capax undequaque comprehendendae theoriae), haud vulgaris thesaurus detegitur. Convivium enim illud nuptiale significat quod Iesus in exultatione per incarnationis adventum venit ad convivium penes illos qui super terram sunt. Ait enim evangelista : "non enim venit ut iudicaret mundum, sed ut vivat mundus per ipsum„ (Io. III, 17), et ut ecclesiam, quae est virgo pura, sibi desponderet sponsam, iuxta illud Pauli ad Corinthaeos "despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo„ (II Cor. XI, 2) de quo Ioannes Baptista dixerat : "qui habet sponsam sponsus est„ (Io. III, 29). Ipse dein agens de suis discipulis dixit : "numquid possunt lugere filii thalami, quamdiu cum illis sponsus est?„ (Math. IX, 15). Convivium igitur figura fuit cohaesionis et adhaesionis intellectualis, qua animabus nostris cohaeret adhaeretque Christus, qui est castus ille sponsus ecclesiae, cuius personam agens nuptiali convivio adfuit Deipara illa virgo et mater, quae, per animadversionem vini deficientis, significaret deficientiam doctrinae synagogae Iudaeorum ex eo quod eiusdem doctores, summi sacerdotes et pharisaei, intemperanter cum illa commiscebant suas proprias traditiones, de quibus etiam Isaias dixerat : "caupones tui miscuerunt vinum aqua„ (Is. I, 22), propterea quod doctrinas docent praeceptorum hominum, atque ideo cuncta evadunt aqua

Porro cum (Maria), ut inclinaret Christum erga commiserationem, eidem dixerit : "vinum non habent„ , ipsum simul hortabatur ut munus vini mystici sacrorum mysteriorum elargiretur. Ast Iesus respondens ei dixit : "quid est mihi et tibi mulier ? nondum venit hora mea„ : scilicet non erit tempus ut vinum perfectissimum et mysticissimum profundam donec perferam crucem et sanguinem meum libem, Paraclitusque super illos qui in terra erunt adveniat. Modo autem commuto humanam et mortuam doctrinam in potus spiritualis ardorem, vim, robur et iucunditatem : horum enim symbolum est vinum. Infelix equidem synagoga haud poterat illius vini saporem experiri. Nihilominus, misericordia motus, cum ea recubuit (in convivio) Christus, qui, ad declarandam doctrinam de bono coniugii, plura praestantissima elargitus est et bona docuit : ipsa vero id nullatenus animadvertit. Praesides porro convivii eiusdem synagogae fuerunt Moyses et Abraham. Moyses quidem praefectus domus Dei tamquam servus ut ait scriptura. Cum igitur illi nutibus propheticis delibaverint primis tantum labiis, palam iis innotuit postremum vinum optimum doctrinae evangelii ipsum servasse suae ecclesiae. Sic enim Christus Iudaeis dixit : "Abraham pater vester exultavit ut videret illum diem meum, et vidit et gavisus est„ (Io. VIII, 56). Huiusmodi bona atque emolumenta verba divina, de quibus agimus, secumferunt.

Longe ergo fugiendum nobis est faciesque nostra avertenda ab illorum fallacibus doctrinis, quae rectos sensus ad contrarios per vim detorquent, conducuntque ad impietates.

Eo siquidem ausus devenit aliquis ille (1) ut assereret convivium nuptiale, de quo agitur, esse perfectam imaginem corruptionis quae evenit in paradiso tertia quoque die uti idem effutit. Domum insuper fruitionis passionis et accubitum dissolutionis vocat convivium, cui et accubuit Iesus, vel (ut idem impie ait) homo ab eodem in imagine Dei impressus. De eodem praeterea

(1) Ex sequentbus colligitur istum esse haereticum quemdam nomine Romanum contra quem invehit Severus in sua homilia, quique errores suos diffusit scripto cui titulus : scala.

blasphematorie simul ac ignoranter addit quod totum illud vinum ex commotione naturae potavit. Deiparam autem uti mollem traducit eamque ait impudenter properasse ad voluptatem et gessisse simulacrum voluptatis cupidinis, atque ea de causa dixisse : "vinum non habent„. Idcirco, subiungit, ipsa fuit obiurgata illis verbis : "quid est mihi et tibi mulier?„ Eiusdem (Mariae) praeterea verba ad ministros contendit significare cogitationes de passionibus, hydrias vero purificationis Iudaeorum denotare alacres erga Deum cogitationes, vinum tandem a Deo et Salvatore nostro Christo ex aquis, miraculo edito, immutatum (eiusdem auctoris dictis utor) vocat vinum vaesanum corruptionis et depra - vationis, atque inquit hanc ob rem dixisse prophetam : vae iis qui ebrii sunt non ex vino, currunt post ebriteatem. Aliter profecto ac in textu prostant prophetica dicta insipienter tamquam fragmina is consarcinat. Siquidem idem propheta alio loco iis qui post ebrietatem currunt dicit vae inquiens : "vinum ipsos comburens„ , et alibi de iis qui inebriantur absque vino ait : "vae coronae despectae, mercenariis montis Ephraim, flori gloriae decidenti super verticem montis densi, ebriis absque vino„ (Is. XXVIII, 1). Quisquis passione inebriatur, ad instar eorum de quibus (Isaias) prophetat, is in sua mente gloriatione est temulentus. Istum porro versum quem is perturbat, explicat non de peccato tantum naturali sed et de peccato quod patratur contra naturam.

Nequaquam sibi haec cohaerent. Nemo non videt quantum eadem prae - tergrediantur cumulum impietatis. Cum dictorum illorum absurditas palam pateat, an verbis opus sit ad illa confutanda? Quisnam porro peccatum dis - tinguendum dixit in naturale atque contra naturam, quod (i. e. peccatum contra naturam) voluntarium nonnunquam ille dicit? In medium prodeat qui talem vult asserere distinctionem. Vel enim peccatum morbus est volun - tatis, uti est reapse, et exhinc iuste damnamur cum peccamus; vel si quis arbitratur peccatum esse aliquid naturaliter inhaerens naturae, nemo propterea mulctandus est poena, cum in promptu habeat excusationem, se scilicet sic esse creatum. Quis porro viris eximiis vel sanctis ipsique Christo praepostere tribuet unquam vocem improbitatis? Quisve e converso improbitatem atque

exinde partam reprobationem virtutem atque honestatem dicet? Oportet equidem voces atque sententias adhibere conformes notionibus designandis personarum.

Ita ex. g. nomen cedri in divina Scriptura denotat modo malitiam, modo virtutem, modo dein fructuum inopiam, atque superbiam. Sic dictum est: "vidi impium exaltari atque extolli sicut cedros Libani„ (Ps. XXXVI, 35). Aliquando idem nomen significat fragrantem odorem et ramorum densitatem, nec non rectae vitae rationem et opulentiam, atque nonnunquam exprimit quod est directum et rectum. Sic illud: "iustus ut palma germinabit, sicut cerdrus Libani multiplicabitur„ (Ps. XCI, 13). Item et vox "vinum„ adhibetur ad significandum, secundum contextum, modo ebrietatem, uti illud "vino iniquitatis inebriati sunt„ (Prov. IV, 17), modo doctrinam spiritualem ab ipsa Sapientia audiendam, uti in isto versu: "bibite vinum, quod miscui vobis„ (Prov. IX, 2).

Porro de me ideo nonnulli conqueruntur quod ea quae nequa et noxa sunt minime bona et salutaria dicam. Iamvero illos qui ut ego talia dicam excupiunt rogare vellem: quo pacto fas esset mihi veritatem pervertere ad placitum hominum? Utrum discernendis doctrinis absonis impar sum? An illas, tamquam bellua, sectari debeo? Numquid haud valeo, iuxta Pauli praescriptum, "moderate consolari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere„? (Tit. 1, 9). Ast nihil hoc est aliud quam ecclesiae maledicere. Quod et mihi revera contigisset periclitanter, si eadem de se ipsa aliter sentiendum docuisset, quam quod Dominus, qui eandem constituit super sanam doctrinam, ipsamque ab errore haeretico et a qualibet corruptione immunem conservat atque tuetur.

Si dein verba mea contendis resecare, ex quo ea resecas extemplo victus evadis. Priusquam mea, reseca potius verba Davidis, et sic eum facile negantem Deum efficis, cum ipsum dicentem perhibes: "non est Deus„. Atqui ista affirmatio adnexa perhibetur huic praecedenti: "dixit impius in corde suo„ (Ps. XIII, 1). Ergo impius, non autem David, arguitur tamquam negans Deum exsitentem. Ad risum profecto tua eiusmodi agendi ratio in resecandis sententiis

movet. Paulus enim iuxta te perhiberetur docens pluralitatem deorum et dicens: "sunt dii multi et domini multi„. Atqui cum iam proclamaverit :"nonnisi unus est Deus„, ad deridendam falsam doctrinam adiunxit: "si sunt qui dicuntur dii„. Inanem igitur criminationem is effugit.

"Scala„ autem, quae ad inferos descendentes conducit, (talem titulum suo libro praefixit Romanus ille habilis! commentator, qui sensum pervertens et delirans impias illas sententias protulit) patefacit undequaque suam foeditatem iis qui in illud scriptum incidunt. Neque opus est ut aliquis eiusmodi foeditatem exprobret, nisi qui ebria mente laborans ad exemplum illius auctoris dixerit peccatum esse naturale et contra naturam. Nam apostolus propter nos qui fuimus salvati per gratiam adventus in carne Christi Salvatoris nostri ait: "eramus natura filii irae„ (Eph. II, 3), videlicet reapse. Qui enim operatur opera quae ira sunt digna dicitur filius irae. Mos quoque est divinae Scripturae, ut, qui in suis cogitationibus morbo laborant quoad propsitum aliquod quod tenent et a quo inducuntur, filios illius propositi vocet. Hinc est quod Paulus ubi dixit: "eramus natura filii irae„, iam palam dixerat, quod: "faciebamus voluntatem carnis nostrae et cogitationis nostrae„ (ibid.), videlicet quod peccabamus corporaliter et in cogitatione.

Iamvero vide apostoli completam sentiendi rationem, qua quodcumque peccatum, quod gignitur a mente et cogitatione aegrotanti cupidinis amore, agnoscat tamquam peccatum. Accedit quod velle aut nolle proprium animae sit, non corporis. Quod autem idem apostolus peccatum corporale nominaverit voluntatem carnis, per id demonstrat quod a mente perversa atque ab anima quae quo voluerit mentem adducit trahitque corpus, gignuntur libidinis opera, quae per carnem patrantur. Quod autem divina Scriptura morem habeat cultores passionum filios passionum vocandi, ostendit David, qui ait. "filius iniquitatis non adiiciet nocere ei„ (Ps. LXXXVIII, 23); imo ipse etiam Dominus de Iuda ait "nemo ex iis periit, nisi filius perditionis„ (Ioan. XVII, 12); et apostolus eos qui evangelio haud crediderunt nominavit :"filios inobedientiae„ (Eph. V, 6). Peccatum autem naturale nemo ex iis qui recte sentiunt docuit.

Ast inquis : apostolus eximius peccatum corporale dixit peccatum vere naturale. Quid ? An ergo commentitium est peccatum voluntarium ? Quaedam enim ex peccatis dicit naturalia, quaedam vero voluntaria. Quid sibi vult eiusmodi distinctio prorsus imperita ? Siquidem poena plectimur ob quascumque species peccatorum, utpote qui reapse peccaverimus, non ficte. Sane idem apostolus ad Romanos scribens ait : "feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam„ (Rom. I, 26). Quid ergo ? Nonne intelligis ipsum dicentem usum naturalem, non autem peccatum ? Porro usus feminae est ille per quem fit procreatio filiorum et transmissio progeniei, minime vero concupiscentia adulterii, quae consummatur per peccatum : seu usus feminae est illa cupido legitima, quae adiumento praesidioque est ad generationem prolis, ex qua subsistit forma huius mundi ; concupiscentia vero contra naturam est illa lascivorum, qua concitantur etiam ad coitum cum maribus. Non est itaque peccatum usus naturalis feminae, qui legem coniugii fovet. Attamen cum lex prohibeat declaretque illicitum commercium carnale cum sorore, aut matre aut alia simili persona, sequitur quod, qui ad eiusmodi commercium habet animum propensum, cupidinis venenum quasi hamum recipit, legemque violat. Nequaquam igitur propter usum feminae dico peccatum naturale inordinationem voluntatis et aegritudinem cogitationis quibus quis ad peccatum movetur. Eiusmodi enim aegritudo est voluntatis, uti dixi, neque aegritudo fit natura. Causae enim cuiuscumque peccati veluti radix est cogitatio animæ. Accedit quod ex motu mentis et passionis diiudicandum esse peccatum doceamur tum ex sacra Scriptura tum ex legislatoribus, qui ad normas earundem legum opera, suasque actiones probe exhibuerunt. Et re quidem vere inspice s. Ioannem episcopum Constantinopoleos explanantem citatum a nobis versum (apostoli) in quarta homilia, ubi demonstrat transgressionem legis, quae ex cogitatione prodit, causam tribuere peccato, ut iure dicatur voluntarium, non autem naturale. Haec sunt eiusdem verba : "Quidquid enim excedit leges a Deo positas, aliena concupiscit, nec stat in constitutis terminis. Sicuti enim multi saepe, relicto alimentorum appetitu, pulverem comedunt, et alii ardenti

siti correpti lutum plerumque appetunt, sic et illi iniqui in amorem illum illegalem exarserunt. Quod si dixeris : et unde illa concupiscentiae vis? Illa provenit ex eo quod Deus dereliquerit. Dei autem derelictio unde? Ex iniquitate eorum, qui dereliquerunt eum„ (Migne P. G. tom. LX p. 418). Et in homilia V scribit sic : "Quapropter non dicit : et sicut non cognoverunt, sed sicut non probaverunt Deum habere in notitia, ex corrupto iudicio et ex contentione potius quam ex rapina dicens esse peccatum et ostendens non ex carne, ut quidam haereticorum dicunt, sed ex animo et mente malae concupiscentiae peccata proficisci, et hunc esse malorum omnium fontem. Postquam enim mens reproba facta est, omnia demum labefactantur et destruuntur„. (ibid. p. 422).

Similiter et Gregorius Theologus in epistola ad Cledonium disputans adversus Apollinarem qui dicebat mentem minime fuisse assumptam a Deo Verbo qui homo factus est pro nobis, et verbum faciens de Adamo qui praeceptum divinum transgressus est inquit : "Quod enim mandatum accepit, hic mandato quoque minime paruit; quod autem minime paruit, hoc etiam eo audaciae progressum est, ut illud violaret; quod autem violavit, hoc in primis quoque salute indigebat; quod autem salute indigebat, hoc etiam assumptum est : ita fit, ut mens assumpta sit„ (Migne P. G. tom. XXXVII p. 187). Hoc itaque evictum est vi argumentorum, uti aiunt, geometricorum et demonstrationibus.

Sapientissimus deinde s. Cyrillus peccatum agnoscit esse morbum, non autem naturam, atque corruptionem quae ex morbo consequitur, ex eo quod mens potiusquam ad virtutem rite dirigat motum naturalem concupiscentem nobis insitum, potissimum eadem mens a morbo permota per appetitum inanem iubet, atque tamquam legem decernit sectandum peccatum. Ita autem in epistola I ad Succensum scribit : "Asserimus igitur ex Adae praevaricatione humanam naturam in corruptionem incidisse, cumque animus noster voluptate carnis ac motuum insitorum tyrannico dominatu premeretur, necessarium ad salutem fuisse nobis, qui in terris degimus, Dei Verbum hominem fieri, ut

humanam carnem corruptioni subiectam et voluptatum cupiditate laborantem propriam faceret, et cum vita sit et vivificator, destruet corruptionem, quae illam invaserat, et insitos motus ad concupiscentiam et voluptatem pertradentes compesceret. Hac namque ratione mortificari poterat in nostra carne peccatum. Meminimus etiam Paulum legem peccati appellasse insitos in nobis voluptatis motus„ (Migne P. G. tom. LXXVII, p. 233).

Compertum est autem quod peccatum in hoc consistit, quod cum affici - mur morbo voluptatum appetitionis, ingravescunt exhinc motus nobis insiti, praevaletque lex peccandi, quae impotenter inducit mentem ducem. Nemo sane unquam id, quod ex morbo contigit, naturale dixit.

Undenam ergo in mentem "scalae„ auctoris, fabri lignarii illius cum Deo dimicantis venit, ut eiusmodi peccati distinctionem invehens illud quod corporale diceret naturale, quod vero est cogitationis peccatum voluntarium, atque per hoc demonstrare sibi proponeret, voluntatis peccatum maius esse illo naturae, et culpam intellectualem graviorem esse sensibili, ex eo quod satanas immunis sit a quavis culpa sensibili, cum incorporeus sit ? Quaenam species comperitur, respondeas mihi quaeso, peccati quam dicis naturalem, quin originem ducat a voluntate ? Audivimus equidem a sanctis patribus, in superius relatis citationibus, doceri mentis consensum esse fontem omnium peccatorum, atque haereticorum errorem esse quod tribuant peccati causam carni. Nonne adversus communem omnium hominum sententias dimicas, cum dicis peccatum sensibile et corporale levius esse peccato intellectuali et cogitationis ? Non enim idem omnino est ut appetitio adulterii ab animo foveatur atque in eo dum - taxat ipsa se contineat, et ut illud adulterium committatur mediante corpore. Quamvis porro ipse Dominus adulterii peccatum censuerit esse illud quo quis intuetur mulierem ad concupiscendam eam (cf. Math. V, 28), nihilominus magnopere distat ac distinguitur actio corporalis a motu appetitionis cupidinis qui in animo continetur. Canon XLVIII per sanctas ecclesias vulgatus sic ait: "Si quis concupierit mulierem ut cum ea concumberet, sed eius cupido haud venit deinde in effectum, videtur is per gratiam liberatus„. Dimicaris ergo

adversus libros sacros a Spiritu inflatos, adversus doctorum probatorum relationes atque adversus decreta et canones ecclesiasticos, cum veniam tribuis peccatis sensibilibus et corporalibus, quae dicis peccata naturae, et, verbis expolitis adhibitis, contendis leviora esse iis quae per cogitationem committuntur. Cuius commenti exinde repetenda est causa, quod iamdudum arbitratus sis, iuxta Manichaeos, corpus emanare ex portione aliqua quae peccare facit, proindeque idem corpus de necessitate naturae suae ad peccandum impelli. Absolutam ergo tribue veniam corpori quod vi trahitur ad peccatum, neque ad subornandos auditores dicas intellectualia peccata graviora prorsus esse peccatis sensibilibus et corporalibus. Non enim quod satanas haud materialiter et corporaliter peccavit, siquidem etsi minime materialiter, ecce iam ad similitudinem illius et peccata hominum per cogitationem graviora censentur illis quae mediante corpore patrantur. Illi enim maior reatus imputatur quod, cum existeret in statu intellectuali et angelico, adversus divinam gloriam deliquerit.

Hoc omne callide excogitasti ut laqueum erroris texeres, et causam diceres, simulate loco apostolorum, contra Iudaeos quos impetis opprobriis et vituperiis utpote qui peccatum dicant naturale, non autem voluntarium. Haec sunt tua verba ad illos : "Idcirco ii ipsi sunt iudices vestri, ii inquam, qui per tolerata tentamenta, per opera virtutis egerunt vitam rectam incorruptibilitatis, vosque arguunt propterea quod non modo a peccato neutiquam abhorreatis, sed quia insuper doceatis illud naturale esse, minime vero voluntarium, ut ille (i. e. Deus) proclamavit. Vos autem dicitis : quid vult aliud Deus quam semen ?„.

Quisnam haud obstupebit audiens ista quae absconditum fel in simplicium animos infundunt? Incriminatur enim Iudaeos ex eo quod peccatum dicant esse tantum naturale, quin sequantur distinctionem illam nequam, futilem atque stolidam, qua unum genus peccati naturale, aliud voluntarium dicatur. Ex improba sua mente et adhibitis tamquam testimoiis Scripturae locis incriminationem Iudaeorum confingens sic prosequitur : "Vos equidem (o Iudaei) dicitis quid vult aliud Deus nisi semen ? quo vult ostendere iniectionem seminis humani, quod efficit generationem, esse peccatum naturale„. Atqui, praeclare!

iam superius probavimus nullatenus peccatum esse commixtionem censendam cum muliere, cum eadem praescribatur a lege, neque consequenter peccatum esse procreationem prolis; illegitimam autem commixtionem et immoderatam, libidinosam cupidinem, quae praetergreditur legis fines, constituere sane peccatum.

Quod autem minime immundum sit semen, audiendus est Isaias inquiens : "Beatus qui habet semen in Sion, et domus in Ierusalem„ itemque : "Videbit anima vestra semen longaevum„ (Is. LIII, 10). Litteralis equidem horum sensus est de prolis generatione, sed sensus excelsior et speculativus sumitur de germine virtutis doctrinaeque spiritualis, quae gignunt complures filios qui noscuntur Dei filii. Hinc in deuteronomio Moyses ait : "benedicti fructus ventris tui„ (XXVIII, 4). Sed longum est plura testimonia proferre. Compertum est autem quod tu procreationem prolis dicere immundam audes, et in peccato et cum peccato tamquam massam subactam perhibes ad instar Manichaeorum et Messalianorum qui blasphemant atque deerrant.

Paulo ante citata tua verba in eodem libro "scala„ haec et scripsisti : "Vox Baalzebub, quae significat, uti iam dictum fuit, inimicum, designat spiritum fornicationis iuxta illud quod scriptum est scilicet Iudaeos dixisse ipsum habere immundum spiritum (Marc. III, 30), qui modo ad ipsum adpropinquare faciebat turpia et passiones pravas, modo eas ab eo procul removebat, ideoque et princeps daemonum is vocabatur. Prae cunctis nefandis istud fornicationis peccatum hominem primo invasit, et consequenter fornicationis spiritus, qui exinde ducit initium, cum universa humana natura audacter atque impudenter gignitur, adolescit atque promovetur. Id autem facile et luculenter potest comperiri ex eo quod puerilis aetas cum sit nescia plerumque operum passionum, uti sunt cupido argenti, vana gloria, amor sui, iactatio, invidia et coetera eiusmodi, praecociter tamen cognoscat et adamet voluptatem cupidinis, quandoque ut ipsa corrumpatur, quandoque vero ut corrumpat alios„.

Quodnam, Romane, ex insipientibus, impiis et impudentibus tuis dictis intuebimur ? Siquidem ex cibi appetitu primum hominem seu Adamum fuisse

victum, non autem ex fornicatione, evincit sacer codex, qui ait "et vidit mulier quod bona esset arbor ad comedendum, et sumpsit ex fructu eius et comedit, deditque viro suo, qui cum illa comedit„ (Gen. II, 6). Non est id itaque fornicationis, sed ventris appetitus. Cum coeteris et hoc audes atque in tua fragili "scala„ inditum inhibes quod nempe in paradiso Adam carnaliter congressus sit cum Heva, effutisqu eid significare comestionem ex ligno. Fabularis insuper et de Ioanne baptista et de satana, sic scribens : "Ille quidem tamquam amator sincerus et dilectus spiritualiter adiunxit Domino ecclesiam, cui promittebat ea quae ad desponsationem spectant, i. e. regnum coelorum, hic vero utpote amator occultus et exitialis simul coniunxit carnaliter Adamo Hevam, cui promisit tamquam dotem Dei potestatem. Die enim, ait illis, quo comedetis ex ligno, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (Gen. III, 5). Qua in actione per opus quod operatur corruptionem cum ipsis abdidit„. Contendis itaque quod satanas in paradiso comparens talia fuerit locutus Hevae, quam ex eo quid aberraverit copulavit carnaliter Adamo, qui edidit opus quod corruptionem effecit, et proinde fornicatio fuit primum peccatum, et locus incorruptionis evasit, iuxta dictum tuum, locus fornicationis.

Ast divinus codex aliter nos docet. Postquam enim dixit : "Et egredi fecit Deus Adamum et collocavit ante paradisum voluptatis„ (III, 24), addidit : "Adam vero cognovit Hevam uxorem suam, quae concepit et peperit Cain„ (IV, 1). Ut significaret autem emolumentum proveniens ex procreatione prolis et ad constituendam exhinc progeniem, inquit Heva : "Possedi virum per Deum„ (IV, 1). Tu autem (te alloquor ut propinquum, et sic alloquor quemcumque, qui tibi amicus est, et qui tecum similia opinantur) intellige si vis quod dico. De comestione ex arbore doctores ecclesiae et veritatis edocent futurum fuisse ut eiusmodi comestio extolleret ad divinam theoriam, si congruo tempore sumpta fuisset. Gregorius Theologus in sermone de Theophania sic scribit : "Legem quasi materiam libero arbitrio tradit. Lex autem illa praeceptum erat, quo praescribebatur tum quibus arboribus ei utendum esset tum a qua manus abstinenduem. Ea porro erat scientiae arbor, non illa quidem, aut male a principio

consita, aut per invidiam interdicta (ne illuc Dei hostes linguas suas iniiciant nec serpentem imitentur), sed bona quidem tempestive percepta (contemplationis enim, ut ipse contemplando assequor, haec arbor erat, qui animi habitu perfectiori sunt), haudquaquam autem bona simplicioribus adhuc animis atque appetitu avidiori praeditis quemadmodum nec perfectus ac solidus cibus iis conducit qui tenera adhuc sunt aetate lacteque opus habent„ (Migne P. G. tom. XXXVI p. 323).

Quapropter non sunt audienda ea quae asseruntur de peccato, et quod dicatur Adamum fuisse victum per participationem sumptionis fructus extra eius tempus. Quomodo ergo arbitrabimur comestionem esse fornicationem, commixtionem mulieris cum viro, actionemque obscoenam, ut dixisti, atque peccatum primum esse illud fornicationis, ideoque cum eo subdis gigni spiritum immundum circa eandem fornicationem, qui per universam humanitatem? Id falsum esse declarat Paulus inquiens: "Alioquin ergo filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt„ (1 Cor. VII, 14). Quomodo autem ais pueros parvulos, (quod tibi ad os stolide venit, id tantum profers, quin ullatenus quod rectum sit intelligas) antequam attingunt aetatem congruam, prae coeteris aliis passionibus, videri inclinatos ad fornicationem? Imo videntur appetere maximopere cibos, ira incendi, sibi invicem invidere, nequaquam vero ante eiusmodi passiones efferuntur cupidine consortii carnalis coitusque. Quod dein dixit Dominus: "Nisi efficiamini sicut pueri, non intrabitis regnum coelorum„ (Math. XVIII, 3), dictum est de illis qui adhuc parvuli sunt, quique nondum aliquid ex eiusmodi in se receperunt, minime autem de aliis quomodolibet. "Nisi enim, ait, conversi fueritis et efficiamini sicut pueri„ videlicet nisi faciem avertitis ab universo malo, iuxta illud apostoli ad Corinthios: "Fratres nolite pueri effici in cogitationibus vestris, sed malitia pueri estote, in cogitationibus autem vestris estote perfecti„ (Cor. XIV, 20).

Hac porro de causa tua (deliria) revolvis inquiens "Spiritum fornicationis nasci cum universa humana stirpe, pueros parvulos ante alias passiones concupire trupiter, violare atque violari„, quia contendis demonstrare eiusmodi

peccatum existere cum essentia nostra et natura. Idcirco de daemone, quem dicis fornicationis, superius scripsisti quod "propter peccatum acquisivit ius affinitatis cum hominibus„. Hisce affinia et consimilia addidisti in alio labanti gradu tuae periclitantis "scalae„, quae iam vergit rupi.

(Romani)

"Itaque festum celebremus non in fermento veteri per opus legale, neque in fermento malitiae et nequitiae (cf. 1 Cor. V, 8), idest per opus naturale et voluntarium Adae et Cain, per quod totum figmentum naturae mortalium commixtum fuit in peccato corruptionem efficienti et foetido„. Haec tu effutis disputans specietenus contra Iudaeos. Ast peccatum non est naturale sed voluntarium. Dicas itaque, quaeso, Adami et Caini quaenam actio fuerit naturalis, quaenamque destituta voluntario? Quove pacto figmentum humanae naturae fuit conglutinatum in peccato? Vel quomodo nonnulli ex iis, qui conglutinati fuerunt in figmento naturae a passionibus immuni, construxerunt suam arcam, uti tu, qui omnia, quae sibi invicem nequaquam cohaerent permixte implicas, dixisti? Qua enim ratione quis abolebit ea, quae natura seruntur et immittuntur? Quaenam est cum daemone fornicationis cognatio? Quisve eiusmodi cognationem per sudores virtutis exuet? Quo dein modo illud, quod gignitur a peccato, reperietur tamquam cognatum naturae? Quis porro commentatorum dixit Iudaeos affirmasse Domino nostro infuisse daemonem fornicationis? Siquidem ipsius vitae ratio, sanctitas, conversatio cum hominibus atque dispensatio occludebat os vel ipsorum inimicorum atque adversariorum.

Quod autem cum hominibus gignitur passio fornicationis daemonque eiusdem passionis, palam in scriptis reprobandis Messalianorum inest. Huic quoque errori tuo similis est alter ille, quod quaedam peccata dicantur naturalia, quaedam vero alia voluntaria. Talem errorem in plurimis locis professus es. Sic enim scripsisti: "cogitationes appetitus concupiscentiae hominibus carnalibus incubant, incitamenta autem defraudationis nidificant in haesitantibus animis„. Rursus docuisti: "Improbitas naturalis mentibus terrestribus Iudaeorum insidiatur, impietas vero satanica insidet in mentibus inflatis ethnicorum„

Videsne quomodo quasi retibus captus deprehenderis asseruisse, quod quodvis peccatum sit naturale, minime vero tantum peccatum quod per corpus committitur, imo et illud quod patratur in mente, quodque dixisti voluntarium? Audi modo tui ipsius verba, nisi tamquam surdum temet perhibes, atque edoce illos qui te audire cupiunt. Iamvero ita dixisti :

(Romani)

"Pravitas naturalis insidebat in mentibus terrestribus Iudaeorum. Si pravitas igitur est mentis, sequitur quod naturalis sit, non autem voluntaria„. Ad quid ergo illa distinctio dolosa atque exornata cui innixus tamquam praetextui, ut hoc genus peccati voces naturale, aliud vero voluntarium, ita tamen ut videaris affirmare dumtaxat peccatum voluntarium, dum interea verbis sublandiris iis qui incidunt in tua dicta.

Eadem quoque distinctione uteris alio loco verbum faciens de Adamo.

(Romani)

Ita enim dicis : "Hora sexta tamquam botrus fuit excerptus per appetitum voluntarium. Post excerptionem hora nona fuit in dolio mortis, tamquam vinum inclusus per peccatum naturale„. Rursus alio loco scribis : "Accesserunt ad Iesum qui ex regione quae intra est et quae extra videlicet : cogitationes naturales et spirituales aegritudinis voluntariae quibus affectae erant turbae plurimae et variae, atque forsan ideo illam aegritudinem sanavit, quod in monte praeclarae philosphiae sederet„.

An intelligis haec quae profers? Curnam turbas corrupto sensu interpretaris? Quaenam sunt (cogitationes) naturales, et quaenam voluntariae? Quo pacto illae turbae affectae erant aegritudine voluntaria? Si quis enim intuetur ea quae naturae insunt, i. e. quae voluit indere in natura Deus eiusdem naturae opifex et creator comperiet sane naturam esse quammaxime sanam, neque indigere sanatione. Quoniam vero tu inquis totam turbam laborasse voluntaria aegritudine, quamnam arbitrabimur faciendam distinctionem turbarum naturalium, voluntariarum, atque spiritualium? Maximopere erras, vel, quod verius est, potius confuse conturbas distinctionem indistinctam. Iuxta

enim tua dicta, dantur qui peccatum naturale patrant (tales enim sunt turbae naturales), qui nempe afficiuntur morbo voluntario. Captus es igitur, cum peccatum voluntarium redigis quoque ad naturale, compertumque est ad lusum te in plurimis locis illud peccatum appellare voluntarium.

Quomodo praeterea haud perspicis te aliam protulisse blasphemiam, cum ex impietate imperita ausus sis dicere ?

(Romani). "Ideo Iesus coetum aegrotorum facile sanavit, quia sedebat super montem philosophiae„. Quamnam sanationem haud facile operatus est ? Quisnamve evangelistarum unquam scripserit talem morbum difficulter sanasse, talem vero facile ? Omnia profecto operabatur tamquam Deus verus nutu tantum suae voluntatis. Quanam porro ascensione super montem ad id indigebat ? An haud noscis ipsum cum descenderet ex monte ad leprosum protulisse illam sententiam qua voluntatem suam divinam patefecit et actionem promptam atque efficacem edidit, cum scilicet dixerit "volo ; mundare„ (Math. VIII, 3) ? Atque una cum his verbis mundatio extemplo facta est illius leprosi. Quod autem Iesus per haec cuncta nobis delinearet figuram vitae philosophiae (i. e. sapientiae christianae), et transiret ad locum tranquillitatis, ibidemque oraret, verum est. Nihilominus nulla earum rerum indigebat, ut facile sanaret qui aegrotabant, neque ut operaretur alia miracula. Quomodo ergo ad instar ebriorum putas te per gradus "scalae„ ascendere, cum te lateat eo ipso te deorsum labi, cumque conaris rursus ascendere, rursus quoque prolaberis teque capiunt, ut dicitur, vertigines ?

Scripsisti autem et ista :

(Romani). "Homini sacerdotali qui debebat oleum doctrinale condonavit unam partem ex quinque, condonavit scilicet eidem peccata non voluntaria. Accipe enim ait chirographum tuum et scribe octoginta. Homini vero saeculari qui onerabatur debito mensurarum tritici condonavit dimidium debiti seu duas partes et mediam partem, nempe (debita) involuntaria, naturalia, et portionem quandam ex voluntariis propter commercium saeculare, et dixit ipsi accipe chirographum tuum, et sedens in fovea desperationis scribe

quinquaginta„ (1).

In promptu erat hic allegare plurimas alias eiusdem sententias redolentes immanem cuiusvis generis blasphemiam, ex quibus nonnullae aliquando palam, modo autem occulte ad obscenitatem Manichaeorum et Messalianorum, nec non ad aliud stramen variarum haeresum adducunt. Nihilominus necessario illa tantum dicta in medium protuli, ut discatis qua de causa convivium illud nuptiale Canae sumit pro domu appetitionis concupiscentiae, ut videlicet doceat commercium coniugale esse corruptionem peccati naturalis. Quapropter etiamsi occurrat alicubi locus in quo exornatis commemorat verbis convivium illud (Canae), imo etiamsi peccatum nominet voluntarium, atque insuper videatur arguere Manichaeos, nequaquam ei credendum est : inhaeret enim abdite ipsi fel, quemadmodum licuit ex eiusdem dictis, quae rite a nobis fuerunt expensa. Siquidem mos est plurimis, ex illis quoque qui Nestorii errores tenent, Nestorium scilicet excommunicandi atque forsan etiam eius doctrinas accusandi, eum tamen in finem ut eiusdem semina subtilius callida quadam malignitate serant. Aliis similiter haeresum strenuis fautoribus idem mos est.

Quare nequaquam horruit ille adducere virginem Deiparam uti typum sensus appetionis concupiscentiae atque tamquam inverecundam neque horruit e converso dicere hydrias Iudaeorum exemplar esse puritatis et cogitationum dilectionis Dei!

Profecto obliviscitur quoque, quod vox "aqua„ accipienda sit pro significatu ipsi tribuendo iuxta personas vel acta quibus applicatur. Modo enim indicat suavitatem et refrigerationem cognitionis divinae quam Deus promittit iis qui torquentur foedis passionibus vel ardentibus satanae sagittis, aridis quidem minime autem virentibus. Sic per Isaiam clamat : "o vos qui estis sitientes, ite ad aquam„ (LV, 1); et per Ieremiam ait : "me dereliquerunt

---

(1) Cf. Luc. XVI, 6, 7, ubi tamen debitori centum cadorum ol. condonantur quinquaginta, debitori vero centum cadorum tritici condonatur vigint , non autem vice versa ut ait Romanus ille haereticus.

fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas discissas, quae continere non valent aquas„ (II, 13); similiter in evangelio inquit : "si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, de ventre eius fluent flumina aquae vivae„ (Io. VIII, 37, 38). Modo vero aqua designat homines inflatos audacia, significatque dissolutionem, mollitiemque saeculi libidinosi, nec non diras oppressiones. Ita in libro genesi Iacob dixit ad Ruben : "durus, audax (es), factus es vilis sicut aqua; non cresces, quia ascendisti cubile patris tui„ (XLIX, 3, 4). David propheta item ait : "eripe me et libera ex aquis multis, ex manu filiorum alienorum„ (Ps. CXLIII, 7); et rursus "cum exsurgerent homines in me, forte vivos deglutissent nos; cum irascetur furor eorum in nos, forte aquae absorbuissent nos„ (Ps. CXXXIII, 2 - 4). Designat dein aqua imbecillitatem, inanitatem, atque inconstantiam doctrinae fallacis, sapientiae extraneorum, scilicet Aegyptiorum, Chaldaeorum, aliorumque iis similium, iuxta illud quod per Isaiam fuit dictum ad Ierusalem : "caupones tui vinum miscent aqua„ (I, 22); atque illud Ieremiae : "quid est tibi et viae Aegypti, ut bibas aquam ex Gehon ? quid est tibi et viae Assyriorum, ut bibas aquas flumi - num?„ (II, 18); tandem iuxta illud. "aquae fallaces, quibus non est veritas„.

Porro quomodo impietate plenum non erit illud, quod primum editum signum a Deo, Domino et Salvatore nostro Christo, qui dignum et mirum in modum aquam in vinum mutavit, declaretur corruptionis, passionis atque dissolutionis causa efficiens ?

Illud dein signum dicitur (in evangelio) primum. De hac autem quaestione disputatur. Quidam enim dicunt istud signum sane esse primum quod Dominus patraverit, cum, tempore praeterito ante attactam staturam corporalem, nihil eiusmodi omnino evenerit, propterea quod nolebat ut is ipse cognosceretur ante dispositum tempus. Iudaei enim praesertim nullatenus eidem credidissent, ex eo quod nondum ad hominis perfecti staturam pervenerat, et quod pro - perassent ad eum arripiendum crucique affigendum, quamquam, si voluissent eundem capere, minime obnoxius is erat ut ab illis caperetur. Quamobrem nullatenus fuit captus, sed ipse semet voluntarie tradidit. Nullum igitur visus

est fecisse signum ante istud, cum esset in praecedenti statura, excepto illo de quo scribit Lucas, nempe, cum esset annorum duodecim, sedens in Ierusalem cum scribis Iudaeorum, eos perculit stupore per interrogationes et responsa sagacia. Sunt tamen audiendi alii qui hac de re subtilius inquirentes dicunt, evangelistam minime dixisse hoc fuisse primum signum simpliciter (i. e. absolute) quod patravit Iesus, sed primum in Cana Galilaeae, quo significat eundem alio tempore atque alibi signa edidisse, quantumvis haud plane eadem fuerunt illa neque huic similia, sed diverse sapienterque patrabantur ab ipso signa pro diversitate personarum, temporum, locorumve, aliter nempe erga Iudaeos invidos et altiora cogitantes, qui propterea arbitrabantur se cognoscere Deum, eiusque legem, aliter vero erga eos qui erant liberi ab eiusmodi passionibus. Siquidem cum, ob Herodis furorem, adhuc puer descenderit in Aegyptum, iuxta prophetiam Isaiae, commovit idola manibus facta, sculptilia et simulacra daemonum, qui hac ratione suam praenuntiabant deficientiam, proximam suam subiectionem ipsi tamquam Deo vero, suamque ruinam ob praesentiam eiusdem victoriamque de se referendam.

Ipsius itaque mater virgo Deipara, quae assueta erat videndis miraculis, compertumque habebat eundem auctorem esse virtutum mirandarum, dixit ipsi: "vinum non habent„. Vel ergo illud primum fuisse signum eorum quae Iesus edidit in Cana Galilaeae, vel primum fuisse post eius baptismum nos arbitramur. Iste autem eximius! qui quae sunt recta perversis fallacibusque suis explanationibus contorcet, in pessimam erumpit blasphemiam, contradicens tum sacrae Scripturae, tum doctoribus authenticis atque accessum habentibus ad mysteria, qui eandem Scripturam Spiritu s. interpretati sunt. Cuius rei in confirmationem, illorum nonnulla testimonia, in gratiam auditorum, hic profero. Sic s. Ioannes episcopus Constantinopoleos hunc locum evangelii exponens ait: "Tunc igitur vinum ex aqua fecit Iesus; tunc et nunc voluntates molles et dissolutas in melius mutare non desinit. Sunt enim homines qui nihil ab aqua differunt, ita sunt frigidi, molles, et nunquam consistentes. Qui ergo ita sunt, adducamus ad Dominum ut eorum voluntatem in vin' conditionem mutet,

ne rursus diffluant, sed ut sibi aliisque laetitiae causa sint„ (Hom. XXII in Ioan. Migne P. G. T. LIX p. 136).

Perspicitis equidem quantum haec opposita sint tenori daemoniaco arbitrariae interpretationis illius (Romani). Siquidem vinum in nuper relato loco dicitur esse signum transformationis in virtutem, atque laetitiae spiritualis, non autem ebrietatis : item aqua (convivii Canae) non sumitur ibidem tamquam symbolum puritatis Deique dilectionis, sed est aqua frigida, mollis, inconsistens quae profunditur.

Audite insuper s. Cyrillum, qui rexit magnam et fidelem urbem Alexandriae, sic divinitus exponentem hunc evangelii locum : "Tertia die erant nuptiae in Cana Galilaeae„. Ait: "Opportunam adhibens occasionem venit ad initium faciendum signorum patrandorum, quantumvis videretur haud voluntarie vocari ad initium illud, cum solemnitas illa celebraretur ob nuptias. Iam notum est et matrem Servatoris nostri caste adfuisse; is quoque qui vocatus fuit, ivit cum suis discipulis, minime ut epularetur sed 1° Praecipue ut miraculum faceret. 2° Praeterea ivit ut generationis humanae principium sanctificaret, quemadmodum, ut ita dicamus, decebat carni. Decebat siquidem ut qui naturam ipsam hominis renovaturus ac totam in virtutis statum reparaturus erat, non solum iis qui iam ad existentiam vocati erant benedictionem impertiretur, sed ut gratiam antecedenter praepararet iis quoque qui erant postea nascituri et sanctificaret transitum ipsorum ad existentiam. 3° Tertiam habe rationem hac de re. Dictum est a Deo alicubi mulieri : in dolore paries filios. Quomodo igitur hanc a nobis execrationem depelli oportebat, aut quanam alia ratione condemnatas nuptias vitare licebat ? Istud etiam solvit Servator propter suam misericordiam. Praesentia sua nuptias ita cohonestavit, ut cum sit gaudium et laetitia universorum, veterem tristitiam depelleret longe a partu filiorum. Omne enim, quod in Christo est, creatura nova est, quoniam vetera transierunt, ut Paulus inquit, et facta sunt nova„ (In Ioan. Migne T. LXXIII, p. 224 seq.).

Videtisne quanta inter lucem et tenebras intercedant intervalla? Numquid convivium nuptiale dixit domum appetendae concupiscentiae ? An indicium

corruptionis quae in paradiso, et veram copulam Adami, uti delirat praecipi - tanter ille depravatus mente ?

Prodeant insuper in medium eiusdem doctoris verba quae elevant ad excelsiorem sensum theoriae. Paucis enim post citatas sententias interiectis haec addit, quibus profecto radicitus evellit blasphematoris illius commentarii aberrationes, fabulas turpitudinesque, et tamquam profanas illas arcet longe a mysteriis Scripturae divinae. Sic enim effatur :

(Eiusdem Cyrilli)

"Descendit igitur de coelo Dei verbum, sicuti ipse ait alicubi, ut tamquam sponsus naturam hominis sibi sociatam copularet, significaretque conceptionem spiritualis seminis sapientiae. Et sponsa quidem, ut per est, idcirco vocatur humanitas, sponsus vero est ipse Servator noster, divina Scriptura ex rerum nostrarum similitudine ad intelligentiam nobis altiorem dictum illud evehente. Nuptiae tertia die celebrantur, h. e. extremis huius saeculi temporibus. Ternarius enim numerus initium nobis, medium et finem inducit. Sic enim quodlibet tempus dimetimur. Videtur in hoc quadrare quod per unum sanctorum prophetarum dictum est : percutiet et curabit nos, sanabit nos, in tertia die resurgemus et vivemus in conspectu eius, et sciemus prosequi post illud ut cognoscamus Dominum. Quasi mane paratum inveniemus eum (Os. VI, 3). Percutit autem propter transgressionem per Adamum, cum dixit : pulvis es et in pulverem reverteris. Sed corruptione et morte percussum rursus curavit ipse tertia die, i. e. non primis, neque mediis, sed in ultimis temporibus, quando, pro nobis homo factus, naturam nostram sanam exhibuit, eam totam excitans ex mortuis in se ipso. Ideoque vocatur primitiae quoque dormientium (I Cor. XV, 20). Igitur cum tertiam diem dicit, qua peragebantur nuptiae, ultimum tempus significat. Praeterea locum designat : in Cana enim Galilaeae oppido, inquit. Hic rursus animadvertat studiosus, non Hierosolymis nuptia - rum celebritatem, sed extra Iudaeam, ut in regione gentium, convivium peragi. Galilaea enim gentium est, ut ait propheta (Is. IX, 1). Illud sane perspicuum est synagogam Iudaeorum sponsum illum coelestem repulisse, sed ipsum

libentissimo animo suscepisse ecclesiam gentium. Non venit autem Servator ad nuptias ex semetipso : multis enim vocibus sanctorum advocabatur. Ait autem evangelista quod vinum defecit convivis : nihil enim lex perfecit (Heb. VII, 19) scriptum enim Mosaicum non sufficiebat ad perfecte laetificandum, sed neque ipsa mensura vigilantiae naturalis ea erat quae posset sese protendere ad nos salvandos. Quare de nobis quoque dicendum illud : vinum non habent. Deus autem qui est dives in suis donis neque negligit naturam bonorum penuria laborantem vinum priori praestantius obtulit nobis : littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Lex porro non habet illud ut sit perfecta in bonis concedendis : e contra divinae insitutiones disciplinae evangelicae perfectam invehunt benedictionem. Architriclinus miratur : quilibet enim eorum, opinor qui in pontifices ordinati sunt, et quibus credita est domus Christi nostri Salvatoris miratur eius doctrinam, quae supra legem elevatur. Illi autem primo Christus iussit propinandum, quia iuxta Pauli apostoli sententiam laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere„ (Migne ibid. p 228 seq.).

Hisce auditis, an indigetis adhuc dictis meis ut diiudicetis modo allata commentaria habere Spiritum s. auctorem, illa vero perditi illius hominis foetus esse daemonum, mendacii ora praeseferentes, quibus primo vel obtutu perterrentur ii qui in ea incidunt ? Requidem vera Cyrillus doctor sincerus declarat Christum coelestem sponsum per convivium Canae delineari sibi copulantem animas nostras per fidem in ipso et per appropriationem : ille vero (i. e. Romanus) minister mendacii et contradictionis dicit "Salvatorem nostrum typum agere hominis cupiditatibus inebriati et confusi„ (1) : sic autem obscoenis verbis, quae ipsum condemnant dicit :

(Romani)

"Hucusque sustineo resistentiamque oppono ne corporis appetitioni consentiam„. Et subdit : "Dicit mater eius ministris, videlicet cogitationibus

---

(1) Videtur legendum ܡܬܒܪܒܪ loco ܡܬܙܒܪܒ quod deest in lexicis.

libidinosis, facite quod dicet vobis. Impossibile erat enim ut istud, quod statutum erat ipse haud faceret, ex quo priorem illum potum cogitationis gustaverat„. Iam vero possibile sane est, ut qui concepit cogitationem pravam, quae cupidinem respicit, per aliam cogitationem castam ita depellat illam, ut nullatenus ea in effectum prodeat. Quomodo igitur spectans theoriam tuam tenebris refertam tu dixisti in loco superius allato "discipulos in convivio Canae figurare cogitationes rectas, et excellentes, et illum qui cum eis erat, utpote qui habens liberum arbitrium calcaret boni et mali viam, processisse absque obstaculo quo is volebat ?„. Si ergo sui arbitrii liber erat tendebatque sine obstaculo quo is volebat, quomodo dicis impossibile esse ut non faceret, ex quo gustavit potum priorem cogitationis ? Illa assertio quod "impossibile erat„ implicat necessario coactionem et involuntarium. Illud porro quod asseris tum de arbitrii libertate, tum de pietate et rectitudine sub quibuslibet nominibus, nil aliud est nisi praetextus cui inniteris merusque sonus. E contra haec in actiones introducunt peccatum coactum et naturale, quod tamen tuo iudicio distribuisti in peccatum naturale et voluntarium ut falleres aures haud exercitas. Nos autem peccatum agnoscimns esse aegritudinem animae, seu illud esse foetus cogitationis quae infirmatur, ut divinus propheta psallens dixit sapienter et prudenter : "Benedic anima mea Domino . . ., qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam„ (Ps. CII, 1, 3).

Ast qua de causa, praetermissis commentariis rectis convivii Canae, abis post explicationes pessimas ? In perspicuo equidem est te per id tibi proponere tamquam abominabile perhibere coniugium, ad instar nefandorum Manichaeorum, de quibus apostolus scribens ad Timothaeum iam dixerat : "Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes sipiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere„ (I Tim. IV, 1 - 3). Et cum semel perverso spiritu furens in talem sententiam erupisti, ulterius illud bonum vinum, i. e. evangelicam doctrinam

perfectam dixisti causam passionum et dissolutionis, architriclinum irtellectum se inclinantem et immergentem in passiones, tandem sponsum esse cogitationem lascivam appetendae concupiscentiae, vel daemonem comitem cogitationi adhaerentem effectoremque contaminationis.

Porro si hisce adiungenda essent ea quae sequuntur, tuis quoque uterer verbis : attamen nonnisi ea quae respiciunt relatum textum evanglii de convivio nuptiali Canae Galilaeae deque ipsius theoria pauca ex illius blasphemiis plurimis protulimus ad vos docendos. Et si omnes et singulos eiusdem errores vellemus referre, id sane postularet totum librum integramque expositionem in separato volumine. Sed me valde miseret vestri, ideoque, ut consulam utilitati vestrae, nequaquam consentio ut ob aures vestras ponam varias eiusdem explicationes improbas atque vetularum fabulis plenas, ne vestro auditui vestrisque animis detrimentum feram : sed curae mihi est ut prius vos quasi solido cibo nutriam, delectem, laetificemque doctrinis spiritualibus patrum. Horum enim dicta referre mihi gloriae duco, simul dein hac ratione pravitatem erroris in publicum vulgo, vosque iudices eorum quae dicuntur reddo. Hoc autem Deo concedente, ordine praestabimus ,quamquam credam vos, qui auditis, in legendo tantum scripto illo impiissimo simul ac risu digno, cui titulus "scala„, posse introspicere quae ei inest foeditatem in perditionis abyssum praecipitantem, atque insuper exinde arguere illud alienum ac extraneum esse divinis Scripturis destitutumque testimonio.

Quo autem pacto (ut modo impietatem scripti illius praeteriens unum locum ex iis quae risum movent commemorem) continere licet risum, cum video ibidem lignum arboris paradisi cubitis demetiri, audioque eorundem cubitorum numerum inepte computari, ex eo quod aliud illud lignum cui affixus fuit apud Persas homo ille nomine Aman erat quinquaginta cubitorum ? (Esth. VII, 9). Nonne eiusmodi theoria inimicos ad risus provocat non leves ? Gravioris ludibrii est illud quod exponit de statere invento in pisce de quo in evangelio Dominus dixit ad Petrum : vade ad mare et mitte hamum tuum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et, aperto ore eius, invenies staterem;

illum sume et da eis„ (Math. XVII, 26). Iste igitur alienorum commentatorum auctor qui se elatius effert ob excogitatam suam theoriam ac gloriatur arroganter, non humiliter, de interpretatione evangelici loci uti sequitur :

(Romani)

"Invenies staterem electum et praestantem, nempe fidem orthodoxam. Pro homine illo interiori et exteriori duo sunt dimidia, i. e cognitio et actio; pro spiritu, corpore et anima tres partes, fides, spes et charitas; dein pro quatuor temperamentis calido, sicco, humido et frigido hae quatuor virtutes fortitudo, sapientia, modestia et iustitia. Viginti autem quatuor ceratia illius stateri sunt tribuum Israel patriarcharum duodecim sensus Dei timoris, plus duodecim apostolorum opera recta et accurata„.

Quis non recte dicet talia praeseferre verba stabularii, qui prompte suis digitis computat pretium hordei et foeni? Neque est facile secernere quaenam ibidem sint magis deridenda, utrum absurditas illarum ineptiarum vetularum, an allegorica illa computatio ex quaesitis illis nominibus ! Sed utinam eiusmodi computationis et mensurarum ineptiae haud praetergrederentur fines ludibrii, tolerabile enim forte fuisset illis cavillatoribus magis irridere quam arguere eorundem criminationem ludibrii. Sed modo haud tacite transiens ad mpietatem ausus est de Ioanne baptista praecursore quem testatus est Salvator noster maiorem esse omnium ex muliere natorum sic scribere :

(Romani)

"Quemadmodum ipse Dominus venit in similitudine hominis qui aberraverat, ita et adduxit Ioannem, imaginem satanae qui (primum hominem) deceperat„. Quibus senteniis impiis subiungit alias ineptas sic impie atque audacter dicens :

(Romani)

"Vicibus numero trinis fuit Adam a satana baptizatus, sicuti et Christus a Ioanne„. Rursus scribit : "Cum Ioannes una tantum vice quemlibet baptizaret, dicebat : baptizo te ad expletionem peccati, ad agendam poeniten -

tiam et ad cognitionem veritatis. Siquidem et satanas cum imponeret Adae manum eficientem dicebat : te baptizo ad transitum ex incorruptibilitate ad aquisitionem peccati, ad oppugnandam salutis redditionem. Ioannes autem Dominum trinis vicibus baptizans dicebat : baptizo te tollentem peccata mundi, qui cuivis hominum das immortalitatem et conducis quemlibet ad regnum coelorum„. Nonne haec temeritatem undequaque redolent blasphemasque irritationes ? In istum sane quadrant illa verba sacra, quod "mors irruit in imperitos„, nec non illa Osee prophetae "cadent principes eorum in gladio propter indisciplinam linguae eorum„ (VII, 16). Quinam ex s. libris retulit Adamum fuisse terna invocatione a satana baptizatum ? Quodnam ex evangeliis tradidit trina immersione trinaque invocatione Ioannem baptizasse ? Uundenam ergo insaniens talia desumpsisti ? Id tantum scriptum est de Ioanne quod "baptizabat ad poenitentiam„. Quis doctorum eiusmodi commentum invexit in ecclesiam ? Perfectum equidem baptisma regenerationis Christus unus ex Trinitate tradidit nobis perficiendum in Patre, Filio et Spiritu s., cumque istis tribus invocationibus respondentibus tribus personis (divinis) immersiones fiunt tres, quibus inest mysticus sensus quem testatur s. Scriptura. Ait enim Paulus in sua epistola ad Romanos : "Consepulti sumus cum Christo per baptismum, cum in morte ipsius baptizati sumus„ (VI, 3, 4). Quod autem Christi sepultura ad tres fuit dies quos secuta est ipsius resurrectio, id significamus per tres immersiones in aqua. Cumque vetustatem peccatorum sepelimus per sepulturam efficientem vitam, transmutamur in hominem novum ex eo quod promissionem resurrectionis exinde acceperimus.

Sed supra illud convivium Canae Galilaeae spiritu elevemur, vivamusque vita digna immunitate sponsi a passione. Perversa dein ac turpissma relata commenta Manichaea procul abiiciamus, curramusque post vinum bonum, quod "laetificat cor hominis„ iuxta psalmistae dictum, quod est figura perfectae doctrinae evangelicae. Praeterea laudibus prosequamur coniugalem statum

tamquam honorabile, itemque laudibus prosequamur virginitatem tamquam praestantiorem atque honorabiliorem, profiteamurque utrumque ad regnum coelorum fideles disponere. Ne impediamus a coniugio ineundo, cum id sit haereticorum, hortemur vero ad virginitatem, sequentes apostolum, qui sic ad Corinthios scribit : "Igitur qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, et qui non iungit melius facit„ (1 Cor. VII, 38). Aliud est enim quod impediamus et vituperemus coniugium quod praescriptum est, aliud vero quod hortemur ut pro statu bono eligatur iste qui melior est, et hic prae illo legali habeatur maiori honore et supra illum qui est licitus.

Deinde censeamus peccatum esse aegritudinem animae, cuius initium consistit in commotione passionis in anima, atque in morbo cogitationis, qnamquam expletio concupiscentiae peragitur per corpus. Neque censeamus peccatum necessario inesse naturae. Imo qui talia docent reprobare debemus, atque eosdem tamquam haereticos abhorrere, etiamsi in sua apologia inserant quaedam consentanea doctrinae orthodoxae aliqua ex parte, non autem quoad partem doctrinae ob quam illi damnantur. Idcirco enim diudicantur seductores, propterea quod redarguuntur errorem docuisse. Siquidem neque Eutychium neque Nestorium a suis erroribus iustificat confessio eorundem in sanctam Trinitatem consubstantialem , et nemo unquam eos accusavit quoad dogma istud. Neque profuit Novatio quod ipse admittebat gloriosam (doctrinam) ecclesiae aliaque, cum interim repudiabat poenitentiam. Ridiculum est equidem quod accusatus de adulterio ad suam defensionem contexat apologiam quod non occiderit. Deinde nullus ut plurimum reperitur haereticus qui haud confessus sit aliquid recti ex iis quae docet ecclesia, et nihilominus illa de causa nequaquam ipsum recensemus cum iis qui orthodoxi sunt. Et Arius ipse eodem modo ac nos confitebatur patrem Deum esse omnitenentem : ast id satis non fuit ut ipsum immunem redderet a blasphemia in Filium.

Quisquis igitur in parte aliqua corrumpit doctrinas religionis, recedit a regula et sententia ecclesiae, invehit semina haeresum iam damnatarum, et praedicat iuxta Pauli dictionem "extra quod accepimus„ , is censendus est ex

numero haereticorum, de quibus idem apostolus admonens fideles ait : "Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens„ (II Cor. VI, 17, 18) : cui decet gloria et potestas, Patri, Filio et Spiritui sancto nunc, omni tempore et in saecula saeculorum. Amen.

Eiusdem Severi homilia CXXIII
Catecheseos vero VI

Cuius argumentum est de fidei orthodoxae professione, praecipue autem ibidem alte redarguuntur impii ac foedi Manichaei, fidelesque admonentur ne incidant in laqueos ipsorum, cum nonnulli conarentur illum perditionis errorem propagare.

Accessurus ad sermonem catecheseos atque adhortationis, ut munere eiusmodi apte fungar, prouti nomen ipsum postulat, volo, omni adhibita diligenti sollicitudine, assectari vocum solos sonos, simulque submisse atque humiliter conari, ut illas adstantes intelligant. Nolo autem per easdem voces accedere ad disserendum de rebus divinis, ad quae fidei professio nos compellit. Timeo enim ne forte cum sonitus attingit aurem haud exercitam seu haud excultam neque formatam ad eiusmodi contemplationes, ego ipse, cum plusquam oportet profero, aberrer, quippe qui aurem obturem potiusquam aperiam, cum ei insinuo ea quibus percipiendis neque capax neque idonea reperitur. Perspicienter enim nosco, si mentis meae oculos ad contemplandam divinam gloriam immitto, eosdem intueri nonnulla ex comprehensibilibus et si ex iis, quae primo sub nostro prospectu cadunt, ipsam gloriam suscipiam quam levissime contemplandam, extemplo extollor, eripiorque, atque ad excelsioris sensus apicem me plane elevat Iesus, ille Verbum Dei, ille unus ex Trinitate, ille ostium cognitionis qui introducit firma ratione ad altiora, atque ex iis valde circumspecte educit sensus obvios contemplationis ad edocendos illos quibus haud licet accedere. Hanc ob causam idem Iesus dicebat : "Ego sum ostium, per me si quis introierit, vivet, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet„ (Io. X, 9).

Idcirco per incarnationem benignissimam usque ad nos descendit, et, ut

ita dicam, quasi ad pedes nostrae mentis, quae propendet erga ea quae infra sunt, sese prostravit, ut via illis qui nequeunt incedere explanaretur. Quamobrem praeterquam ostium semetipsum nominavit viam, apponens pro diversitate actionum nomina diversa. Ait enim : "Ego sum via, veritas et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me„ (Io. XIV, 6). Si itaque incedo in via et transgredior ostium, sane etiam nolens ascendam ad montem. Excupit enim attollere illuc non modo qui sunt sicuti Petrus, Iacob et Ioannes, sed et illis minores humilioresque pro modo cuiusque facultatis. Verumtamen elatio quaelibet est misericordiae : extollimur quippe non ex eo quod simus propinqui, sed quod is accedat illis qui haud omnino remoti sunt. "Deus enim e vicino sum, ait Dominus, et non Deus de longe„ (Ier. XXIII, 23). Si autem ascendo, et transfiguror : nimirum eveniet mihi quod in evangelio narratur. Sensus autem quos revelat, minime sunt tamquam via et ostium quae introducant, neque sunt accomodata auditui eorum qui catechizantur : sed ex iis quae prope sunt admovet ad excelsiora.

Transfiguratio ergo est cogitationum elevatio. "Illuxit quidem facies eius sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba tamquam lux„. Siquidem Deus noscitur ex splendore circumstantium nec non ex iis quae exterius adspiciuntur, quasi ex lucentibus vestimentis : minime vero cognoscitur ex intima atque abdita eiusdem notione. Sic ex decore atque magnitudine ipsius operum, ex ordine atque dispositione partium rerum visibilium eundem cognoscimus, ut cum propheta David dicamus : "Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! : Omnia in sapientia fecisti„ (Ps. CIII, 24). Noscitur quoque Deus ex iis quae suis servis is locutus est revelavitque. Ne igitur ineffabilia scrutemur, inquirentes quisnam is sit in sua essentia, quae supra omnia est.

Praedictis in adiunctis Moyses et Elias advenerunt apparueruntque, Moyses quidem vice legis, Elias vero loco prophetarum, comprobaruntque magnum mysterium pietatis in Christo, uti supra indicavi. Cum Iesu et colloquebantur, ut absolutum perhiberent consensum veteris et novi testamenti, umbrae nempe et realitatis, scripti et spiritus, typorum et prototyporum, praedictionis

futurorum atque rerum eventus. Haec erant de quibus lex et prophetae per Moysem et Eliam cum Iesu dum super montem stabat colloquebantur. Si ibidem porro morari tentarem, hallucinationeque affectus ad ea quae apparebant accederem, dicerem et ego: "Domine bonum est nobis hic esse. Visne ut faciamus hic tria tabernacula, unum tibi, et Moysi unum atque Eliae unum?„ (Math. XVII, 4). Ad illa equidem tabernacula conducunt lex prophetarumque chorus, cum elevantur usque ad evangelium et spiritualiter declarant illo mediante, tres illos qui enumerantur (Moysen, Eliam et Iesum) in unum convergere finem.

Ast coruscans nubes obumbrans meam praecidit perscrutationem. Simul autem ac praecidit et illuminat obtegitque: neque ex invidia agit, sed potius ex commiseratione. Eius enim propositus est ut minime sit oneris quod superat vires, atque ut illuminet quantum a nobis carni subiugatis ferri queat; ceterum efficit ut minime stupore commoveamur, neque magnificentiae exundatione obruamur, quin imo ut intueamur quod valemus.

Verumtamen quid est quod audio? Ecce vox resonat ex nube quae salutaliter lucet praeciditque, et tamquam a persona Patris prodiens ait: "Hic est filius meus dilectus, in quo complacui„ (ibid. 5). Iamvero cum eiusmodi percipio vocem infra delapsam ab abscondita excelsa divinitate, impar sum ei ferendae, meque ideo cohibens, inferius meum intuitum demitto. Siquidem et "discipuli cum illam vocem audierint, in faciem suam ceciderunt timueruntque valde„ (ibid. 6), indigueruntque ut Iesus, stans adhuc in monte, accedens tangeret eos erigeretque, ac iuberet ut fortes essent animis, nollentque timere. Scriptum est enim quod "accessit Iesus et tetigit eos, dixitque: surgite et nolite timere„ (ib. 7).

Item cum sonum audio, per illam auditam vocem doceor atque egomet doceo credendum esse in unum Deum Patrem omnipotentem, in unum Dominum Iesum Christum Filium unigenitum consubstantialem Patri. Si enim ipse Pater dicit: hic est filius meus, ecce totum sermonem de divinitate habeo brevibus hisce verbis elucidatum atque explicatum. Plane equidem simplicia sunt haec

verba, attamen facillime incredulum compellunt ad assensum veritati exhibendum. Ita enim ratiocinamur: Si filius est, ergo est genitus et non factus, cum Pater dicit: filius meus est, non autem: factus est. Si porro dictum fuisset: et factus est, consequens fuisset ut ille qui factus est recenseretur inter ea quae facta sunt. Quare filius qui est, non autem qui factus est, proculdubio recensendus est cum Patre, qui est neque factus est, habendusque est excelsior omnium quae facta sunt.

Quemadmodum itaque qui ab aeterno est Pater, nullatenus aliquando incepit Pater esse vel aliquando desinet, similiter et hic ab aeterno est Filius, propterea quod verum nomen Patris nullatenus patitur ut aliquando idem existat vacuus Filio vero orbatusque nato dilecto. Est enim Filius "splendor gloriae et imago personae Patris„ (Heb. I, 3), splendor quidem, quia ab eo, quem reflectit, nulla in re differt. Quis enim solem (per solem intellige, o qui audis, spheram seu corpus rotundum ac igneum, seu aliis verbis quod ex lumine, quod ex eo diffunditur, splendores emittit, splendorque exstat in quolibet puncto) quis, inquam, solem vel parum a splendore removebit? Nequaquam sane sol expers suo splendore exoritur, neque splendor qui resplendet seiungitur ab eo a quo obtinet ut resplendeat. Quapropter cum Filius resplendeat haud procul a Patre, neque seiunctim ab ipso, sequitur quod sit lumen de lumine. Et quoniam tamquam Filius est, a Patre genitus sequitur quod sit Deus de Deo. Et quia ab aeterno existit cum illo qui existit ab aeterno, rectissime confitendum est ipsum esse ex eo qui existit, filiumque naturae Patris, cum unius eiusdemque essentiae atque naturae sint et qui generat et qui generatur.

Ast dicit aliquis: ecce in Iob auditur ipse Deus dicens: "Quis est pluviae pater? Quis est qui genuit stillas roris? de cuiusnam utero egressus est crystallus? gelu dein in coelo quisnam genuit?„ (XXVIII, 28 seq.).

An ergo pluviam vel gelu dicemus eiusdem esse naturae Dei propter praedictas voces quae illis tribuuntur nempe "pater„ "genuit„ et "ex utero egressus est„? Atqui Deus minime inquit: ego sum pater pluviae, vel ego

genui ros, aut ex sinu meo egressus est crystallus. Sed cum Iob, qui se reputabat peritum in designandis rebus creatis per appositionem vocabulorum accomodatorum, vellet Deus ostendere haud penitus exercitatum esse atque pervincere insuper humanam scientiam plurima laborare inscientia, eundem Iob moleste sic interrogat : an tu fili hominis dicere potes, quis sit pater pluviae, vel quis genuit totum rorem istum multitudinemque ? Nequaquam autem, ita interrogans, vult patefacere praedictorum generationem vel nativitatem, sed cum hominum aliarumque rerum creatarum super terram productiones et partus nonnisi per tempus efficiuntur, idcirco Deus dixit : numquid putas, Iob, quod ego indigeam mora et labore, uti productio roris pluviae, gelu et crystalli iis indiget ? Nonne potius quam celerrime, velocius quam cum profertur verbum, potis sum ea condere per actum voluntatis divinae ut fiant, imo nutu dumtaxat ? Ceterum si aliquando occurrunt vocabula eiusmodi sicuti ea quae de Deo dicuntur, necesse est ut illa vocabula intelligantur pro notione rerum quibus adplicantur, minime vero sensu qui veritati officit. Aliter enim quis percipit propositionem istam : Deus est pater pluviae; aliter autem hanc aliam : Deus est Pater Filii, et Filii quidem Unigeniti. Siquidem nomen unigeniti indicat ex uno Deo Patre unum Deum Verbum esse genitum praeter quemlibet modum quamlibetque notionem cuiusvis generationis (rerum creatarum). Proinde illud nomen "unigenitus„ generationem excelsiorem Filii discernit a cunctis aliis inferioribus generationibus, sive istae sint generationes sive ex usu tantum tales audiant.

Aliter autem res esset, si Scriptura dixisset dumtaxat "Pater genuit Filium„ nullo alio adiecto additamento ad instituendam comparationem inter vocabula sibi consimilia eum in finem ut exinde deducatur generationem illam minime intelligendam esse tamquam veram atque ex essentia Patris, sed metaphorice sumendam, sicut est illa quae de pluvia, nive, crystallo et gelu dicitur. Iamvero quoniam quae dicuntur de generatione Filii minime ad praedicta coarctantur vocabula, ne in prosequenda aequalitate vocabuli immoremur, uti contendunt isti inanes, ne ex adulterata illius explicatione periclitentur ea quae attinent

ad fidem. Desistant quamobrem isti a corrumpendis seu rodendis vocabulis more vermium.

Quid porro nobis agendum est, cum audimus Ioannem dicentem : "In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum„ ? (Io. I, 1). Si itaque in principio erat tamquam qui existit apud eum qui existit, atque erat tamquam Deus apud Deum, quomodo intelligere licet. Filium Dei qui ab aeterno existit non esse verum Filium, personalem, aeternum atque ex ipsa essentia genitoris, sed similem eundem facimus pluviae et rori ? Vel quomodo crystallo vel pluviae adplicabimus haec dicta quod nempe ad instar filii a Patre fuerunt, uti vos asseritis ? Et qui fieri potest ut aptetur eisdem illud : "Nemo novit Filium nisi Pater et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare„ ? (Math. XI, 27). Numquid Deus reputabitur pater crystalli personaliter et per communicationem naturae? Videtis ergo quomodo Arii discipuli cum inepte contendant divinam Filii nativitatem extenuare, nantur in idearum verborumque similitudinibus vacuis vanisque, quin discernant quid sub verbo subsit, quidve illud significet, atque perversam ob mentem suam eo deveniunt ut ratiocinandi facultate expertes omnino evadant.

Ast addunt et hoc : quid mirum si Christus dicitur sapientia Dei ac fortitudo Dei ? Ecce enim et Ioel scribit : locusta, bruchus, ventus urens et eruca, fortitudo mea magna, quam immisi in vos„ (II, 25).

An ergo locusta et eruca ex ipsa erunt essentia Dei, ex eo quod dicantur fortitudo magna Dei ? Quam apte hisce aptanda sunt illa verba : "erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei„ ! (Math. XXII, 20). Christus enim tamquam Deus de Deo, qui ab aeterno existit ab eo qui ab aeterno existit, sapientia est virtusque quae subsistit essentialiter. Plagae autem locustarum et erucarum sunt virtutis Dei effectus qui peccantes revocant ad resipiscentiam conversionemque ac adducunt ad virtutem. Per easdem plagas agnoscitur magnitudo virtutis illius qui percutit, cuius equidem potentia etiam per locustas atque erucas tam despiciendas apparet ! Hasce Paulus modo operationem virtutis vocat, modo virtutem. Ait enim : "Alii quidem per spiritum datur

sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum : alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum„ (I Cor. XII, 8 - 10). Alibi idem ait : "Etiamsi nihil sum, tamen signa apostolorum facta sunt in vobis, per omnem operationem, per signa, miracula et virtutes„ (II Cor. XII, 11 seq.) Ita divinae Scripturae mos est ut operationes virtutis Dei dicat virtutem, sicuti et plagae locustarum et erucarum dictae fuerunt magna virtus. Eodem nomine vocat duces qui missi fuerunt adversus gentes quae terram Israel iam occupabant, et per quos, etsi admodum pauci erant, Deus ostendit roborem et vim virtutis suae. Quamobrem et Iosue filius Nun qui post magnum Moysem fuit ductor populi et dux exercitus in memoriam filiorum populi sui revocans miracula et virtutes quas Deus operatus est, inquit : "Et misit ante vos vespas, et ex conspectu vestro eduxit duodecim reges Amorrhaeorum, non per gladium tuum, neque per sagittam tuam„ (Ios. XXIV, 12).

Intelligisne modum istum quo per insectas despectas apparet infinita Dei virtus? Hac et de causa cum Deus vexaret Pharaonem per ranas, grandines et locustas dicebat : "ut per te ostendam virtutem meam, et cognoscatur nomen in universa terra„. Attamen exinde nullatenus censere debemus Christum, qui est virtus et robur essentialis Patris (1), aequiparandum esse signis hisce et miraculis quae nonnisi per ipsum efficiuntur. Discrepat enim quod efficitur ab eo qui efficit.

Neque nomina aequalia alias adhibita significant aequalem naturam eorum quibus nomina illa apponuntur. Sic spiritus vocatur Deus uti ait Ioannes : "Spiritus est Deus„ (Io. IV, 24); sed et angeli dicuntur spiritus, prouti psallens David ait : "Qui facit angelos suos spiritus„ (Ps. CIII, 4). Non tamen idcirco arbitramur eundem inesse spiritum angelo atque Deo : imo inter creatorem et creatum discrepantia intercedit maxima, quae nequit dici quanta sit.

Ne itaque sese fallant Ariani cum perverse intelligunt atque in medium adducunt generationem (i. e. productionem) atque ortum roris et crystalli,

---

(1) I. e. "robur essentiae Patris„ et ita in aliis locis

autumantes eiusmodi exemplis prorsus fallacibus atque futilibus se posse evincere generationem ineffabilem Filii non esse ex essentia Patris. Neque Unigenito sapientiae et virtuti essentiali Dei aequiparent virtutem locustarum atque erucarum.

Imo audiant David cum confirmans divinae nativitatis Filii veritatem inquit : "Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis : . . . ex utero meo ante luciferum (stellam) genui te„ (CIV, 1, 3). Ne quis autem existimet haec affirmari de dominis improprie dictis, puta de duobus regibus. Neque enim talia stolida dicta et commenta destituta quovis argumento credibilitatis ullo in loco protulerunt Iudaei, penes quos sermone hebraico plura nota nomina ita servantur Deo, ut nemini alii tribuantur : suntque Elohim (1), Iehova (2), et Adonai. Eadem autem nomina illi ipsi interpretes (LXX) multis in locis absque interpretatione reliquerunt, quo demonstrant illa nomina propria esse Deo non vero aliis communicabilia. Adducto in loco iisdem nominibus usus est propheta psallens : "Dixit Iehova ad adonai, i. e. Dominus ad Dominum virtutum, sede a dextris meis„ Praedicta enim nomina hosce perhibent significatus.

Quoniam igitur Dominus Deus noster Iesus Christus, postquam explevit totam incarnationis dispensationem atque a mortuis resurrexit, corpore indutus ascendit ad coelum, uti scriptum est, cum ex eo cuncta plena essent divinitus minime vero corporaliter. Sese humiliavit quidem usque ad mortem, mortem autem crucis, nihilominus nullo modo imminutus est a sua gloria : imo in ipsa passione atque carnis infirmitate quam voluntarie idem admisit, suam potestatem ostendit atque impassibilitatem, mortemque legaliter per passionem vicit debellavitque. Propheta igitur praefatum mysterium prospiciens scripsit illa verba quae a Spiritu iubebatur ut audire faceret tamquam per citharae vibrationem : ideoque ad nos docendos inducit Patrem alloquentem Filium · Non enim poteramus veritatem addiscere nisi humanae rationi scilicet tenuitati

(1) יהוה אדוני אלוהים

(2) Pro male lecto illo Dei tetragrammate יהוה posuerunt πιπι.

nostrae scripta illa verba fuissent aptata. Alioquin in perspicuo est Deum, qui incorporeus est, nequaquam loqui per organa quae resonant. Velle enim tantummodo est verbum Dei. Pariter et de Filio dicendum : quomodo enim dici potest quod indigebat ut verba audiret, cum ipsemet noscat velitque ea quae Pater noscit atque vult, cumque utriusque una sit essentia, eademque per omnia, excepto quod ille sit Pater, hic vero Filius ? Aeque et voluntas una eademque est utriusque. Quodnam est ergo verbum quod per prophetam vult indicare cum dicit : "Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis„ ? Nihil equidem aliud id demonstrat quam coaequalitatem honoris Patris et Filii.

Stultum est autem asserere per dexteram intelligendum esse Deum incorporeum atque infinitum. Dextera porro apud nos est indicatio honoris, ideoque sessio a dextris designat ex usu hominum nomina eorum qui excellunt. Si quis autem nonnisi in verborum extrinseca ratione sisteret, quin ad notiones Deo idoneas elevetur, Filius dicendus esset Patre honore potior, utpote qui ab eius dextris sedet. Verumtamen per illa verba et eorum significatus qui penes nos usu, uti dixi, decurrunt unum sollicita est Scriptura demonstrare, videlicet coaequalitatem honoris Patris et Filii. Perspectum enim eadem habet, quod, quantumvis maximum velit quis Filium honore extollere, nullatenus ipsum elevat supra Patrem, qui eundem genuit. Hunc etiam sensum produnt sermone hebraico praefata verba : Dixit nempe Iehova ad Adonai, i. e. Dominus ad Dominum virtutum. Si vero inversus fuisset ordo, ita ut diceretur : Dixit Dominus virtutum ad Dominum, perseveranter dixissent audientes illud "Dominus virtutum„ tribui Patri utpote eminentiori, illudque quod subsequitur i. e. "Dominum„ ad Filium tamquam inferiorem referri. Iamvero textus isti inversum perhibet ordinem, scilicet quod subsequitur nempe "Dominus„ de Patre illud vero "Dominus virtutum„, quod sine controversia excelsiorem continet conceptum, de Filio dicitur, propterea quod Scripturis divinis cura est haud minorem Patre manifestare Filium, qui tamen nequit praetergredi splendorem Patris. Haec dicta sunt de singulorum istorum vocabulorum speciali significatu in lingua graeca. Iuxta hebraeorum autem sermonem, uti iam diximus, ista duo

nomina Iehova et "Adonai„ nonnisi de uno Deo dicuntur, neque aliis applicantur. Hinc interpretes (LXX) pro geminis nominibus unum idemque vocabulum adhibuerunt hoc modo : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Ne porro, iuxta stolidam sententiam Nestorii discipulorum, reputaretur homi - nem per gratiam ascendisse atque insiliisse in summum thronum, rapinamque arbitratum esse ut is esset Deo aequalis, iuxta Pauli dictum (Phil. II, 6), atque ne diceretur Patrem mentitum esse cum per prophetam ait : gloriam meam alteri non dabo„ (Is. XLII, 6), idcirco verbis superius adductis adiecit haec alia causam (1) indicantia, scilicet : "ex utero meo ante luciferum genui te„.

Idcirco (ait Pater) clamo : sede a dextris meis etiam tamquam incarnatus, quoniam non es filius diversus ab illo, qui peramanter ex me est, seu aliis verbis pro modo dicendi hominum, ex meo utero natus est, sed unus idemque est. Hoc etiam more humano usus explicavit veram generationem Verbi. Alioquin enim numquid qui incorporeus est uterum habet ? Sed sicuti nos ea quae operamur, nostris manibus operamur, ipse quoque, etsi cuncta verbo perficit, nihilominus consuetis nobis vocabulis utitur, ita ut more humano dicat : "Ego manibus meis firmavi coelos„ (Is. XLV, 12) : et nos quoque dicimus ipsi : "Manus tuae fecerunt nos et plasmaverunt nos„ (Cf. ps. CXVIII, 73). Pariter generationes illorum qui sunt corporei et eiusdem naturae ac nos, fiunt, uti plurimum, ex utero uti occurrit apud Isaiam : "Numquid mulier obliviscetur infantem suum, aut non miserebitur filiis uteri sui ?„ (Is. XLIX, 15,), et in libro Proverbiorum : "Quid fili uteri mei, quid partus viscerum meorum ?„ (XXXI, 2). Similiter humano usu sed valde dilucide Pater suo Filio dicit : "Ex utero meo aute luciferum genui te„. Propterea recte CCCXVIII patres nobis fidei professionem tradentes sequentes libros a s. Spiritu inflatos de Filio dixerunt "natum esse ex Patre unigenitum„ scilicet ex essentia Patris.

Illud dein "ante lucifernm genui te„ significat tum ante quoslibet

(1) Graeci et syri Patrem dicunt causam Filii, latini principium Cf. s. Thom. Sum. p. a, ae Q. LIII c. 1.

mundos, tum ante quamcumque intellectu praeditam creaturam, i. e ante spiritus supernos, virtutesque incorporeas. Porro lux substantialis est Deus in Trinitate ; angeli vero, qui desumunt ex illius splendore, seu, ut ita dicam, ex illius fluxu, quo ipsum sustinere possunt atque ad nos eius iussa eferre, pleni sunt lumine et scientia, hi sunt luciferi. Talis fuit Gabriel, qui apparuit Danieli exponens ipsi quantum fieri poterat et revelans ignota nutuum prophe-ticorum dicens : "Daniel, nunc egressus sum ut docerem te intelligentiam. In exordio precis tuae egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Intellige ergo sermonem„ (Dan. IX, 22 et seq.). Lucifer et fuit qui Deiparae Virgini significavit annuntiationem de adventu in carne illius qui est lux ineffabilis et excelsior, qui illuxit iis qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, quique totum orbem divina coruscante Dei scientia replevit. Ex utero itaque i. e. ex sua essentia Pater genuit Filium ante quamcumque creaturam atque ante quemvis luciferum. Absonum prorsus esset hunc luciferum intelligere de sidere sensibus obnoxio atque visibili quod creatum fuit die quarta cum sole, luna et stellis post creationem coeli, terrae, plantarum, graminumque.

Porro quemadmodum illud "Filius„, atque "ex utero genui„ et similia cuncta vocabula denotant eiusdem esse naturae genitum ac qui genuit, ita similiter Filius vocatur Verbum ut ostendatur eiusdem generationem immunem esse a passibilitate ab affectione corporea, a fluxu, et a quibusvis aliis eiusmodi quae apparent in generationibus corporalibus. Verbum quippe est mentis partus expers passionis, gigniturque ab ipsa mente sine commixtione vel connubio corporali, seu est imago intellectus undequaque simillima ipsi, significat tamen se esse distinctam ab illo cuius est imago, quemque manifestat delineatque in semetipsa.

Cum verbo quod prodit, item et prodit flatus. Verbum quidem nostrum, utpote quod ex mutabili (finita) mente prodit, ac per flectiones corporales mediantibus labiis et lingua auditur ac percipitur, desinit simul ac prodit : itemque flatus oris et spiraminis desinit dissolviturque cum prolatione verbi.

Dei vero Patris, qui est intellectus supereminens, qui est, qui subsistit, qui dat aliis ut sint, Dei, inquam, Patris tum Verbum tum Spiritus sunt viventes, subsistentes, creatoresque universorum continentesque omnium quae facta sunt; suntque in Patre, uti et Pater in iis non iam definite vel corporaliter, sed novit prout testatusque est ille ipse in evangelio dicens : "Ego in Patre, et Pater in me est„ (Io. X, 38).

Quemadmodum enim Verbum est splendor, gloria et imago personae Patris, ita et Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, qui a Patre procedit et vere in se ostendit illum cuius is est Spiritus, eiusdemque est essentiae cum illo a quo procedit : propterea quod impossibile est ut Spiritus veritatis habeat essentiam diversam ab eo a quo is procedit. Idcirco cum Patre et Filio connumeratur atque conglorificatur Spiritus. Idcirco et in Patre, Filio ac Spiritu sancto baptizamur. Nisi enim sicuti Pater et Filius et is subsisteret, atque cum illis in natura consubstantialis esset, coaequalisque in honore, necesse fuisset ut is cum creaturis statueretur, neque in ipsum eadem haberetur fides qua in Patrem et Filium credimus.

Trinitas igitur sancta est sempiterna increata et consubstantialis. Quemadmodum Pater est Deus, item Deus est Filius, atque Spiritus sanctus quoque est Deus; quemadmodum lumen est Pater, lumen quoque est Filius, item et lumen est Spiritus sanctus; quemadmodum Pater est plasmator, opifex et universa tenens, ita quoque est Filius et Spiritus sanctus. Non ideo autem sunt tres principatus. Etenim Filius et Spiritus sanctus referuntur eminenter ad Patrem, ille quidem utpote qui ab eo natus est, iste vero utpote qui ex ipso processit : quare unus omnino est principatus, unusque Deus qui in una essentia et divinitate in tribus personis haud confusis monstratur bonus, iustus, qui omnia attingit per providentiam ac bonitatem. "Bonus est enim Deus erga omnes simul, et miserationes eius super omnia opera eius„ (Ps. CXLIV, 9). Cum enim ille sit rerum omnium creator, aeque iis providet, earumque curam habet.

Undenam igitur scelestissimis Manichaeis in mentem venit, ut inducerent duos principatus (i. e. duo principia) eosque initio expertes, bonum nempe et malum, lucem et caliginem, alterumque nominarent materiam ? Quisnam vel exhinc talem insaniam haud execrabit ? Quisve postquam execraverit tantam mentis aberrationem haud deflebit ? Principium enim (summum) est causa vel stirps rei universae : ut autem principium sit vere tale oportet ut nihil supra se habeat. Iamvero quodnam ex illis duobus dicemus esse causam alterius, ut nomen principii eidem inscribamus? Num bonum potius quam malum? Anve e contra malum potius quam bonum ? Et quo pacto fieri potest ut quod in sua essentia est bonum sit causa, stirps et origo existendi illius mali ? Aut ut malum (principium) det initium naturae illius quod est bonum quodque ex integro ei est extraneum atque adversum ? Falsa profecto erunt gemina illa principia, cum unum alteri in quibusdam superemineat.

Atqui, aiunt, "utrumque est increatum atque initio expers, tum scilicet bonum quod est lux, tum malum quod est caligo et materia, neque inter se communicant„. Quid? Mihi interroganti eia responde. An eiusmodi duo principia profitemur esse infinita? Quae enim non fuerunt neque initium habuerunt necesse est ut iis inhaereat quoque infinitio. Infinitis autem proprium essentialiter est ut sint incorporea. Rursus notum est quod ens incorporeum debet esse intellectu praeditum. Quamobrem nonne absurdum omnino est principium quod ad materiam accedit affirmare esse immateriale atque intelligentiae particeps ?

Praeterea si gemina principia illa sunt infinita et a nulla re cohibentur, necessario inter se immiscentur quae sibimet maxime opponuntur atque adversantur, quaeque natura minime sibi consimilia sunt. Non itaque duo erunt principia, sed unum coalescens ex illorum unione et commixtione.

Deinde si quodlibet duorum principiorum ab alio est separatum, suumque occupat locum, erunt certe illa principia definita : quae vero sunt definita, versantur in corpore, quamvis haud spisso atque duro, sed admodum subtili. Atqui corporibus proprium est ut habeant limites seu fines. Si autem illa corpora fines habent, quomodo erunt ingenita atque initio expertia ? Quidnam

erit porro illud quod cohibebit ambo principia ab invicem, ne inter se immisceantur? Necessario erit excogitare ens tertium, ipsumque initio expers et increatum, ut assidue contineat bina illa principia, bonum atque malum, secum invicem certantia, quae perhibentur initio expertia et increata. Erunt igitur tria principia, non duo. Et tunc oportet ut illud tertium ponamus ex natura diversa extranea iisdem binis principiis, ut eadem quae sibimet sunt adversa coercere queat. Si ad unum enim vel ad alterum illud ens medium (i. e. tertium) adpropinquamus, dicimusque illud esse ex substantia lucis, vel caliginis, alio medio (i. e. quarto principio) indigemus ut permixtionem cohibeat.

Scelesti sane homines isti sibi videntur arrogare licentiam eiusmodi temere effutiendi stoliditates atque impietates quae nequeunt consistere! Audent et principio malo adscribere essentiam; illudque adversus principium bonum lucem sempiternam, armare; asserere esse illud increatum, quod tamen minime habet sui subsistentiam; illud, quod est materia, atque ab iisdem ita vocatur, immateriale et intelligentia praeditum dicere; hocce idem finibus definire et includere in locis ad instar principii boni; contendere bonum principium, (quod etiam lucem et arborem vitae nominant) regiones versus orientem, occidentem, et septentrionem tenere; tandem regiones orientalem et meridionalem dicunt tenere arborem mortis (sic enim vocant materiam admodum et malam increatam).

Cum tam impie atque blasphematorie de Deo fantur, argumenta sane digna verbis quae proferunt de divinitate hunc in modum adducunt. Sic nempe de tota ista variatione disserunt: "Distinctio quae intercedit inter haec gemina principia est ad instar illius quae est inter regem et suem. Illud quidem (principium bonum) in regionibus suis tamquam in regia circumit, istud vero (principium malum) ad instar suis volutatur in luto atque alitur recreaturque foetore, vel ad instar serpentis qui in suis latebris insidiatur„. Dicunt autem "sive suem sive serpentem ex semetipsis pullulasse„ ut hisce exemplis forsan dilueretur illud quod affirmarunt, nempe materiam esse increatam.

Consentaneum sane erat ut istis assimilaretur Manichaeorum principium

increatae materiae, a qua rectissime dicunt se factos fuisse, cum illam opificem faciant. Ecce iam et ipsi sues evaserunt in suis mentibus!

Sed ut modo praetermittam quae risu sunt digna, verbum faciam de vehementer exprobrandis, proferamque nonnulla ex immundis commentis deliramentisque illius a quo Manichaei denominantur, ut exinde compertum habeatis quo modo sua duo principia quae autumant esse increata inclusa perhibeant in locis.

In uno itaque suorum scriptorum mysticorum, quae potius dicenda sunt caliginis atque erroris ille sic inquit :

"Eorum quae ab initio sunt (loquitur de materia et de deo) quodlibet in sua natura existit. Ita autem existit arbor vitae ibidem cunctis suis decoribus exornata, consentaneis cunctis repleta bonis iisque inclusa et in sua natura firmata. Eiusdem terra occupat tres partes, septentrionem extra et infra orientem et occidentem supra et infra. Infra autem nihil cavum est, neque ullo in latere : sed infinita (arbor) extra est et infra. Neque aliud corpus extraneum existit circa illam regionem neque infra eam, neque in ullo loco trium harum regionum, sed ipsius i. e. arboris vitae) sunt quae infra, quae extra septentrionaliter orientaliter et occidentaliter, ac nemo est in iisdem tribus regionibus qui ipsam apprehendit sed sola est, quae per semetipsam sepit fructus suos, et dominium in ipsa est„.

Hisce dein permultis ineptiis alia fuerunt congesta commenta, quae neque longum per tempus facile possunt educi, cum compluries circumvertantur et quasi in caligine volvantur. Eiusmodi enim sunt notiones caliginis. De bona arbore) ista et asserit : "Bona arbor non est visibilis parti australi, ex eo quod iis quae in suo sunt sinu obtegitur. Deus enim locum munivit„. Et postquam in medium ab eodem auctore prolata fuerunt plurima (stolida) addit alia minime longe aliena ab illis impietatibus, cum dicit : " Sicut arbor bona invisibilis est „, ita et eius lux et bonitas invisibilis est, ne malae arbori quae est in australi parte perhibeat concupitus praetextum, fiatque causa cur excitata ad certamen veniat. Manet ergo illa in sua gloria reclusa, neque ob

suam bonitatem perhibet praetextum ipsi (i. e. arbori mortis) sed in sua iustitia eandem conservavit. Est autem in hac gloria perpetuoque in natura suae magnificentiae est in istis tribus regionibus. Non est autem vita arbori mortis, neque fructus bonitatis inest ulli ex suis ramis : estque continuo in regione illa australi, quae est locus ipsi proprius, ubi existit„.

Videte quot iniurias passionesque inurere Deo qui est unus bonus audent isti qui sibi confixerunt timorem ut causam ad blasphemandum, quin nihilominus ea proferant quae sibi cohaerent. Siquidem principium illud (bonum quod in adductis locis infinitum esse dixit (Manes), idem illud perhibet uti finitum limitatum inclusumque in tribus regionibus, nempe oriente, occidente atque septentrione. Praeterea postquam dixit quod "sit invisibile regioni australi, quodque obtegatur in suo sinu„ addit quod "locum suum clauserit muro„. Iamvero si in sua natura illud (principium) est perpetuo invisibile, neque unquam adspicitur a materia, quae in regione australi est, suppetebat equidem ipsi praesidium ex sua natura invisibili quae necessario non poterat prehendi. Praesertim vero minime erat expugnabile a malo. Porro cum murum erigit, illum erigit ad semet custodiendum adversus bellum quod pertimescat suscitandum ab illo qui validior ipso est. Ergo et inbecille est ac formidolosum artificiisque sese custodiendi indigens, neque propterea utpote Deus sibi sufficit

Ulterius : si (bonum principium) suum munivit locum, (scire cupimus) adversus quamnam materiam munivit eum ? Et si iam illum munivit, antequam erectus fuerat murus, ergo ante erectum murum minime erat ipse custoditus. Et tunc quomodo cum esset Deus haud pridem praecognovit sibi requiri murum, et quare illum haud exstruxit ab initio ? Deinde quomodo tunc temporis materia destituta erat vi agendi, neque adoriebatur bonum, cum deesset eidem tunc murus ? Quin potius delirans asseris, quod, postquam fuit munitus locus, eadem materia insiliens adeo praevaluit ut et bono partem abstulerit.

Et quomodo principium bonum quod poterat ex aliqua bona materia murum exstruere, non condidit ex eadem bona materia mundum, qui nullam haberet commixtionem cum malo ? Si porro murus, quem fecit, erat immater-

ialis atque intelligentia praeditus, mirum sane est quod qui potens est ut substantias immateriales ex non existentia ad existentiam adducat, haud facile fecerit et materiales. Si dein contendis istum murum ex semetipso assurgisse, erat iste, uti vobis mos est dicendi, tertius expers initio et non genitus : ergo connumeremus eum simul cum duobus illis (principiis), et credamus tria esse principia, non duo. Si vero respondes quod deus ille bonus ex sua essentia (bona) confecit murum illum, quanam ratione ille qui incorporeus est ex semetipso aliquid decerpserit vel sese diviserit ? Deinde si, uti fabularis, futura erat materia mala ut bellum iniret cum bono cuius decorem splendidissimum excupiebat, murusque confectus erat ex illa ipsa praeclarissima essentia, necesse profecto erat, ut bonus ex alia omnino natura exstrueret murum ad se custodiendum : alioquin, si murus ex ipsa dei substantia esset confectus, satis erat ut materia particulam excideret ex muro, ad quem facilem habebat accessum, atque ut ita cupidine repleta cum bono sese immisceret. Praeterea quomodo bonum undequaque claudis utpote indigentem muro aliquo ad se custodiendum ? Quomodo inquis terram quae ipsi debetur tres tenere partes, septentrionem, nempe, orientem et occidentem, nullamque cavitatem infra existere ? Tuis equidem utor dictis, quibus videris verbum facere de quodam homine quasi frigore contracto qui semet accumulatis quampluribus tegumentis calefacit, contrahitque pedes ne ex imo forsan ascendens frigus illos attingat.

Ast ipsius sententias quas deo dignas is arbitratur intueamur. Qua igitur de causa bonus ille sese abscondit ab eo qui cum deo dimicat ? Nobis interrogantibus is respondet : "Ne concupiscendi praetextum daret arbori malae in australi regione sitae, neque causa esset cur eadem concupiscentia flagrans ad certamen veniret. Ast (idem ille deus bonus) in sua inclusus gloria minime praetextum dedit propter suam bonitatem„.

Quisnam aranearum texta eiusmodi tela potest ferre ? Quisve haud collacrimabit videns animas ratione praeditas iisdem irretitas telis ? Dolendum sane fuisset si talia locuti essent cum tauris asinisque ad illos decipiendos : quanto ergo magis cum conantur seducere homines qui nondum penitus

amiserunt rationis facultatem, qua nempe sunt quod sunt, scilicet homines ?

Iamvero qui natura quidem sua malus est, quomodo appetit rem bonam? Quod enim quis appetit, illud in se recipere potest. Quare qui malus est natura sua, non est idoneus ut fiat particeps eorum quae sunt bona. Quae enim attinent ad essentias naturasque, eadem manent immobilia ac inhaerentia iisdem constanter atque invariabiliter, quin ullam habeant commixtionem cum naturis essentiisque oppositis. Quae est enim, apposite clamat apostolus, participatio lucis cum tenebris ?

Equidem secundo loco admodum execrandus iste Manes ait, quod "bonus sit invisibilis regioni australi„. Attamen nescio quomodo dicit de materia, quae inhabitat inter australem regionem et orientalem ac in ipsa australi, quod potuerit appetere illum qui est invisibilis. Si enim mansisset in regione australi, minime illum praeclarum videre potuisset, si vero ex iis egressa esset, praeteriisset haereditatis fines, quos hic stolidus ipsi constituit ab initio, et tunc verum esset quod hic impius dixit. Sed quomodo eiusdem figmentis nefandissimis cohaerent ea quae asseruit, deum nempe semetipsum inclusisse ne ipsum videns arbor mala eundem appeteret et idem in periculo constitutus evaderet? Quodnam, quaeso, periculum erit bono, ex eo quod materia paticeps eius fiat, si modo eadem esset apta eiusmodi participationis ? Quin imo emolumentum exinde emersisset, quod scilicet bonus sineret participationem boni immutare materiam quae in se mala est : et deus ipse incriminationem invidiae iure incurrisset ex eo quod se abscondat, cum per suum decorem posset ad virtutem attrahere et subiicere rectae rationi materiam quae adversus ipsum insurgit dimicatque. Qui enim se inclinat ad appetendum, obtemperat ei quem appetit, neque ei ullatenus detractat.

Sed cum (Manes) iam dixerat quod, deus propter suam bonitatem sese includit ne arbor mala eiusdem intuitu concitata capiatur concupiscentia eius atque in periculo constituatur„, deinde quasi suorum commentorum oblitus totum certamen adversus bonum (deum) parat, congregat enim, acerbeque armat in eum improbitatem, materiam, arboremque malam mortis.

Recenseantur dein simul universa nomina, discatque quilibet queisnam Manichaei tribuant victorias relatas de deo bono. Inprimis de eadem materia haec dicunt: "Arbor mortis in plures dividitur arbores, quibus belli impetus atrocitasque insunt, paci autem sunt alienae, omni malitia replentur, nulloque in loco bonos fructus ferunt. Arbor porro adversus fructus suos divisa est, fructusque sunt divisi adversus arborem, neque consentiunt cum arbore quae ipsos peperit, sed omnes plasmant cariem ad perditionem suae regionis, neque subiiciuntur illi quae eos peperit, sed tota arbor mala est, nihilque boni penitus facit. Est ipsa in se divisa, et unamquamque ex regionibus nominatim ex iis depravat„.

Modo autem immanem congeriem figmentorum praesertim destitutorum subsistentia suscipiunt coacervare atque hinc materiam distribuere in multas partes, quas nominant fructus, qui sese ad invicem perimunt, ponuntque eosdem concitantes tumultum adversus arborem quae ipsos genuit, eosdemque confici et quasi lanam per cariem corrumpi; asseruntque tandem quod caries minime sponte exoritur sed ab iisdem fructibus fingitur ut iidem deveniant ad se invicem destruendos conficiendos interimendosque, priusquam insurgant armis et bello adversus bonum.

Cum talia athei isti execrandae turpisque gloriae avidi effutiuntur, nequaquam considerant se absque consilio affirmare quae sibi lubent, eaque simul illico inficiari, nulloque suasionis argumento commenta super commenta compingere, quae suis ineptiis dein iuserunt. Cum enim dicunt materiae partes agitari, invehunt permixte confusionem in matrem, progenies aliosque cunctos quos terrore atque perturbatione repletos perhibent propter insurrectionem aliorum adversus alios. Ex eiusmodi mutua agitatione, absque interventu ac sine subiectione congerunt concitatos ad se simul armandum bellumque uno consensu gerendum adversus lucem, instruuntque armis etiam fructus arboris malae, quos et membra mortis appellant. Potestatem equidem sibi faciunt improbitatis et mortis fingendi essentias quae minime existunt, easdem in plures dividendi, tum dein eas in unum colligendi illasque disponendi ad

seditionem simul et ad concordiam, atque hoc modo delineandi omnia ista aenigmata consistentia destituta.

Expedit porro ut hic proemium stupendi libri illius!, praesertim autem partem figmentorum, afferamus et ex commentis illis sibi haud consentaneis seligamus, quantum fieri potest, pauca ut cuivis dignoscatur stoliditas blasphemiarum ipsorum, iuxta apostoli dictum.

De materia, deque fructibus illius (arboris malae) ac membris notantur haec dicta immania. "Sed ipsis exinde nempe ex agitatione exstitit causa cur usque ad lucis mundos assurgerent. Neque enim arboris mortis membra se invicem noscebant, neque sensus ipsis inerat ad invicem, nam quodvis eorum nihil amplius quam suum sonum cognoscebat, et nonnisi quod erat ob suos oculos illa intuebantur, audiebantque cum quis clamabat. Cum clamorem itaque eiusmodi sentirent, cum impetu egrediebantur sonum versus: neque aliud quidpiam noscebant. Hoc autem modo ab invicem fuerunt concitata ut egrederentur usque ad fines gloriosae terrae lucis. Cumque intuita sunt aspectum lucis prorsus mirandae atque splendidissimae prae propria luce, tunc convenerunt: sunt haec autem materia illa caliginosa, excogitaruntque sese illi luci immiscere: attamen ob suam stultitiam nesciebant deum fortem ac heroem in illa inhabitare. Imo cupierunt ascendere ad excelsum locum, quoniam divinitatis famam nullatenus agnoverant, neque quis sit deus senserant, sed cum stulte adspexerint, ex cupidine adspectus illorum benedictorum mundorum reputarunt eosdem fore suos. Quamobrem cuncta membra illius arboris caliginis, quae est materia efficiens corruptionem, sese extulerunt ascenderuntque multis cum virtutibus quae numero nequeunt dici quot: induta autem omnia illa erant ignis materia. Porro distinguebantur membra illa, alia enim gerebant corpora dura, et in sua magnitudine erant infinita, inicorporea, intangibilia, quibus sensus tenuis inerat, sicuti sunt daemones et species spectrorum. Cum ergo sese extulit universa materia cum suis spiritibus, turbo, aqua, ignis et su daemones, spectra, principes et omnes virtutes, dum interea inquirebant qua ratione sese luci insererent, hanc ob agitationem concitatam ab imo adversus

terram lucis fructusque sanctos, necessarium fuit ut aliqualis pars ex luce profecta adesset seseque immisceret hisce malis, ut per immixtionem hostes caperentur, atque pax (exinde) esset bono eiusque natura custodiretur, propterea quod exempta evaserit illa benedicta natura ab igne materiae et a carie illa corruptrice. Deinde : lucidi illi se exuunt materia, scilicet virtute ipsis immixta, ut materia e medio aboleatur,et fiat illa arbor vitae deus in omnibus et super omnia. In illo siquidem lucis mundo non est ignis comburens, qui iniiciatur super malum, neque ferrum illud abscidens, neque aquae suffocantes, vel quidpiam aliud malum hisce simile. Quidquid enim est, lux est, locusque liber est, nullumque adversus eum est exitium. Verumtamen hic est exitus, ut hostes, cum a particula illa quae ex luce emanavit dissipantur, supersedeant ab impetu et capiantur per immixtionem„.

Iamvero quisnam eiusmodi impietatis perturbationi ebibendae consentit nisi qui ebria sit mente affectus? Quisnamve intellectu praeditus haud deridet undequaque talem aberrationem quae redolet dicta omnino confusa, incohaerentia atque inconsiderate prolata? Quo sane pacto fieri potest ut materia illa esset non facta expers initio et bono coaeterna, atque ut abundaret cunctis malis illis fructibus, virtutibus pluribus quae nequeunt numerari, et, ut affirmat impius ille scriptor, essent corpora dura quorum magnitudo dixit infinitam? Quodnam unquam responsum dabis? An infinitum dicitur corpus exstans in corporibus tenuibus, in spectris, spiritibus, turbinibus, aquis, igne, daemone, atque principibus qui in profundo sunt? Hosce enim cunctos enumerat cum aciem materiae ordine recenset.

Dicant porro utrum fructus qui pariter pullularunt iam arbori inerant olim atque ab initio, an vero deinceps additi fuerunt? Si olim (atque ab initio), ergo plures sunt qui exstiterunt sine initio, quique non fuerunt facti, iique sunt non computabiles et, ut summatim dicam, totus ille coetus eorum qui fuerunt nominati. Si vero temporis decursu arbor, ut solet fieri, germinavit fructus, protulitque universam eiusmodi progeniem malitiae, ergo eiusdem arboris dumtaxat pars aliqua increata est dicenda, ast reliquae, eaeque plurimae,

partes sunt creatae, quae scilicet deinceps factae fuerunt. Iamvero quomodo intelligemus uni eidemque essentiae inesse ista duo opposita quod ipsa sit simul increata et creata ? Quomodo materiae fructus quos dicit stultos sensuque destitutos et nonnisi quae ob ipsorum oculos sunt cernentes, quique vix propter suam imbecillitatem otiositatemque compotes sunt ut vocem eorum qui prope sunt audiant, quomodo, inquam, perhibentur adversus sese invicem concitati, atque dicuntur ita attracti simul ut communi concordia usque ad fines terrae lucis processerint, non secus ac si una sub ordinatione ducerentur, adspexerint visum lucis, fuerintque abrepti cupidine venustatis quam appetierunt ? Atqui eiusmodi actiones nequaquam sunt essentiae stultae atque sensus expertis. Appetitio enim boni, qui est reapsa deus, supponit rite intellectum excelsum, non stultitiam. Cum malum appellasti naturam, qua ratione, o praeclare!, natura eorum stulta et sensu expers potest beatam gloriam boni appetere ? Quo ergo pacto scriptor ille plene amens dicit illos (i. e. fructus arboris malae) adspexisse visum lucis admirandae et decorae quae megnopere suam lucem antecellebat seseque congregasse, eosdemque esse materiam illam caliginosam ?

Ast quinam decor, quaenamque stupenda lux inerat caliginosae illi materiae ? De ista disquirens asserebas quod fructus materiae adspexerunt visum lucis admirandae, quae valde speciosior erat sua luce. Sed mihi dic : an itaque illi caliginosae materiae inerat particula quaedam lucis ? Tunc ergo iampridem ab initio eadem materia caliginosa immixta erat luci, atque idcirco supervacaneum est omnino initum illud bellum infestum. Conveniens siquidem tunc fuisset ut materia erga lucem sibi cognatam peramanter sese gerens ad illam pacis legationem mitteret, posceretque perfectam immixtionem partis lucis, ex qua iam pars aliqua ipsi materiae caliginosae immixta reperiebatur.

Verum procedendum est ad aliam sententiam, qua dixit fructus seu membra materiae tunc sese congregasse, eosdemque fuisse illam materiam caliginosam. Iamvero quomodo haud aliud esse materiam, aliud vero ipsius fructus intelligemus ? Si dein materia in hisce (i. e. in fructibus)

consistit, ergo permulti fuerunt infiniti expertes initio et non geniti : non ergo duo tantum dantur principia, uti alias verbum fecimus.

Stupet attamen animus meus quod illa immaterialis intellectualis atque invisibilis lux dei boni dicatur fuisse visibilem fructibus materialibus. Insuper, hisce praetermissis, stupet animus quomodo praedictus scriptor oblitus sit illius muri quo lucem circumcinxerat. Idcirco fieri minime poterat ut illi (i. e. fructus) usque ad fines gloriosae illius terrae venirent atque super eam consistentes adspicerent suis oculis murum, intuerenturque lucem intus inclusam atque contractam. De hac luce mysticus foedusque ille auctor insipientium coripheus ita inepte scribit : "Est illa invisibilis regioni australi, obtegiturque iis quae sunt in suo sinu. Deus siquidem munivit locum„. Et dein adiungit : "Sed ipse in sua gloria inclusus est„.

Quis operis pretium esse censet confutanda ista, quae ita contradictoria sunt, ut sese invicem elidant, imo quae pugnant cum ipsa natura ? Quidnam ex iis quae sunt impossibilia haud protulit ille auctor, dux expeditus Manichaeorum, princeps doctrinarum obscoenarum, ac legislator impietatis ? Nonne adscripsit naturam malo, et istud dixit expers initio et increatum ? Nonne malum constituit adversus deum illum essentia bonum ? Nonne et idem malum seu materiam distribuens in partes, seu in fructus infinitos malos, effecit increatos atque deos innumeros, quos nobis tamquam ab initio existentes introduxit ? Sane ethnicorum impietatem, eorundem polytheismum atque gigantium certamina leviores esse suis blasphemiis prodit. Illi enim ex indulgentia nominant deos quos invenerunt homines quibusque victorias de gigantibus relatas tribuunt : hic vero adversus illum, qui est unus Deus, qui omnium existentium causa est atque super omnia existit, armat virtutem malam materiamque, commentaturque bellum sempiternum, confingitque ipsi (i. e. materiae) fructus germinantes, aciem nempe daemonum virtutumque adversariarum. Nonne iisdem hisce (fructibus), qui natura sua, iuxta sententiunculas fabularum senilium illius auctoris, sunt destituti sensu atque fatui, tribuit cupidinem illius excelsae lucis ? Nonne ponit visibilem materialibus illum qui

immaterialis invisibilisque est? Nonne murum exstruit quo includit lucem, istamque utpote inexpugnabilem efficit ut a longe aspiciatur? Ex stultitia dein fructus materiae, seu ipsam materiam, similem cohorti cuidam πολυπροσωπω armavit adversus lucem haec dicens: "Impulit ipsam sua audacia ad egrediendum versus intellectum principem: vicit autem, quoniam deus ille bonus, cum magnopere staret in tremore ac in timore esset, ad vitanda mala quae in ipsum insurgebant, compulsus necessitate eo devenit, ut, ad complendam cupidinem materiae, eiusque rabiem cohibendam, particulam quamdam abscinderet et infra demitteret ex sua luce, quae particula commixta est malis. In multitudine enim erat materia illa πολυπροσωπα„.

Cum (materia) copiosa itaque esset cunctis istis fructibus, Rhea ethnicorum diva, ut videtur, sapientior erat Manichaeorum deo. bono. Hic enim prae illis (divinitatibus) ita infirmior timidiorque erat, vacuusque intellectu, ut neque reputandus sit unus ex iis qui recte sentiunt: ubi e contra illa (diva), ut in fabulis narratur, cum suum noverit maritum Saturnum, qui eius comedebat natos, pro puerulo superstite et modo nato lapidem obvolutum fasciis, tamquam infantem dolo ostentans, obtinuit ut Saturnus istum deglutiret.

Quam pueriles porro sint Manetis nugae, perpendite, quaeso. "Non ignis comburens, ait, est in mundo lucis, qui iniicitur super malum, neque ferrum abscindens, neque aquae suffocantes„. Numquid hisce, impure, indigebat deus? Quid? An ille qui, ut inquit Paulus, verbo oris sui cuncta produxit (Heb. I, 3) aptus haud erat ut nutu suo dumtaxat omnia exterminaret? Neque aliquid alieni protulisti, cum et tuis blasphemiis hoc adiunxisti, quod nempe "(deus bonus) in tremore steterit„ et quod idem "pro effugiendis malis pro pace (habenda), atque ut arcerentur inimici particulam quamdam ex sua luce dederit„ non aliter sane quam qui sese interimunt, ne in captivitatem abducantur. Impietatibus tuis et hoc addidisti quod putasti (deum) indigere belli instrumentis ad poenam infligendam, cum interim ipsius infirmitatem inopiamque blandis verbis obtegis, et quasi ad illudendum inquis: "illam particulam lucis ideo fuisse datam materiae, ut deinceps, iuxta locutionem tuam,

commixtio eliquaretur, reperireturque pura lux„. Equidem videris disserere de faece vini non vero verbum facere de deo. Prosequeris autem ulterius : "Postquam commixtio eliquatur, desinit materia omnino in abolitionem„. Hisce verbis uti et illis superius adductis exhibuimus te dicentem : "ut materia aboleatur de medio„ .

Curnam, o vane, cunctis hisce dictis delinquens in deum blasphemas ? In patefaciendam omnimodam tuae mentis aberrationem profecto exeunt varii circuitus tui . Si enim materiam eiusque fructus ponis sese mutuo abolentes, ita ut creent cariem absumentem, necesse erat, ut omitteres illud quod paulo post dixisti, nempe quod materia ex semet aboletur, neque oportebat ut illam dimicantem cum deo bono effutires, sineresque quae a carie absumitur de deo victoriam referre .

Ast forte quis alius dicit, congruum fuisse ut pars aliqua ex luce sese materiae immisceret, eum in finem ut pars illa praestantior victoriam referens immutaret materiam eamque ad se attraheret .

Si rabidus ille immanis fabulator impietatis talia esset professus, forsan quaedam species fuisset eius commentis, neque in foedam illam doctrinam is ab initio fuisset lapsus .

Omnis enim eius conatus eo tendit, ut malo tribueret dominatum, utque haud esse reprobandum ostenderet peccatum, utpote quod materia sit quae cogat ad peccandum, quae quidem materia fingit cariem absumentem . Superius siquidem inquit : "Idcirco data fuit particula lucis, cum materia armata fuit„. Verba dein ipsius hic addo "Ut custodiretur boni natura, materia illa benedicta effugit de igne materiae, et de carie corruptionis„ . Si itaque ipsa natura boni materiae dedit tamquam suae liberationis pretium particulam sui, ne experiretur ignem cariemque corruptricem, compertum fit particulam illam a bono datam et materiae immixtam, fuisse eum in finem datam ut desineret atque conbureretur, donec eliquaretur illa immixtio iuxta ineptias delirantis Manetis. Quare ille bonus in duas partes scinderetur, et particula lucis ab illo ablata subiiceretur materiae, et proiiceretur ad cariem absumentem, et coageretur ad

peccandum. Dicunt dein quod : "Ipsa ista particula lucis quae immixta fuit materiae praebuerit causam cur crearetur mundus iste, ex eo quod deus propter immixtionem istam cum malo coactus fuerit ad facienda omnia. Secus autem qua de causa deus indiguisset mundo, hominibusque qui ipsum minime erant audituri? Omnia enim existentia condita fuerunt post hanc im - mixtionem, cum quibus et homo (recensendus est), qui est pars huius mundi„. Quo autem pacto vos talia delirantes quis perferet? Nonne enim docetis quomodo deus necessitate coactus creaverit? Nonne et docetis quomodo ille ex materia coacte compulsus potuerit constituere compositum hunc mundum ex commixtione coacta? Et quo pacto fieri potest ut cum fructus materiae excitati sese invicem elidunt ex praelio, concitatione, ac certamine atque ex particula quam arripuerunt a bono aliquid exsurgat potius quam dissolva - tur? Concitatio enim et coactio pariunt potius dissolutionem; non autem constitutionem. Undenam ergo ordinate haec omnia reguntur gubernanturque, ubi diei horae dispositione concinne temperantur, atque ubi sol et luna sibi ordinate succedunt observatis normis compositis? ubi spiritus flant, terra seritur et metitur, et mare noscens suos fines arena compescitur ut cohibeat suum fluxum, quo se convertit ad procellas excitandas? Non aliunde proculdubio quam quia unus idemque est universorum opifex moderatorque qui omnia constituit de iisque curam habuit. Si autem damus, quod asseritis, prius nempe fuisse perturbationem, coactionemque praecessisse creationem, nihil omnino ordinate notum fuisset, sed quidvis dissolutum fuisset.

Qua igitur ratione contenditis immundi vos Platonem sequi? Ex quo vos tamquam barbaros ponit divina Scriptura abiicitque utpote dicta sacra minime intelligentes, illico ad testimonia properatis aliena et extranea, cumque et horum claustra vobis occluduntur, reperietis vos effectos adversarios contra vosmetipsos et contra quemcumque atque oppositos. Nonne reapse tales estis, cum asseritis ea, quae sibi invicem nequaquam consentanea sunt? Porro quamvis Plato professus est aeternitatem materiae, nullatenus tamen materiam malam, seu naturae malae affirmavit aut eandem asseruit esse (causam)

efficientem mali, vel praelium committentem cum bono uti contenditis. Imo idem Plato ait deum ex eadem materia mundum hunc effecisse, atque exhinc ipsam materiam vocat rerum omnium matrem, educatricem, atque susceptricem amplissimisque nominibus eandem extollit. Neque tamquam invitum aut coactum inducit deum opificem ad creandum, uti contendunt vestra lingua vestraque mens cum deo certantes, sed eundem inducit uti opificem voluntarium atque solummodo ex bonitate.

Hinc ait Plato : "Ad illam quaestionem : quanam de causa Deus res creatas et hunc universum constituit ? respondemus : quia est bonus. Bono autem nulla inest invidia cuiuscumque rei„. Et haec quidem rectissime dicit : ast illud aliud quod asseruit nempe materiam ex qua fuit factus mundus esse aeternam, minime concedimus. Hic enim mundus materialis factus est. Atqui quod factum est nequaquam est aeternum, cum unus Deus increatus sit aeternus. Omne enim quod non est ex essentia illa quae super omnia est, id est creatum proindeque non est aeternum, uti et fidei divinae verba ostendunt.

Ast inquies : undenam ergo mala ? En validior Manichaeorum obiectio quae secum ad perditionem pertrahunt imperitos. Cui veritatem docens ego sic respondeo : ex vobis o mali sunt mala, vos ipsi habetis unde obiectionem diluatis. Cum enim vos estis origo totius mali, quod est causa aegritudinis, qua mentes vestrae afficiuntur, nolite alibi malorum causam investigare.

Quid igitur lapides non dubitatis effodere ad perquirendas mali opes quas abditas habetis in terra vestra ? Malum enim nequaquam est essentia quaedam, sed est abusus facultatis liberi arbitrii. Sic, exempli gratia, Deus creavit in corpore oculos ut videant, seu participes fiant luminis huius sensibilis et visibilis, non tamen effecit coecitatem, cum coecitas sit orbatio a lumine. Si quis nihilominus voluntarie occludit oculos, is ipse sibi causa est coecitatis, neque idcirco Deum criminatur tamquam auctorem eiusmodi coecitatis. Essentiarum siquidem auctor est Deus non privationum. Pari et ratione Deus tamquam oculum intellectualem creavit in nobis mentem ut luminis divini intellectualis participes simus compotesque contemplandis hisce

rebus visibilibus, atque ex concinnitate et coagmentatione mundi arguamus existentiam illius qui fecit disposuitque hunc rerum ordinem. "Invisibilia enim Dei, ut ait Paulus, ex creatura mundi ex operibusque intelliguntur et videntur„ (Heb. XI, 3). Quidam alius sapiens dicit : "Ex pulchritudine operum quasi ex mensura quadam opifex rerum creatarum cernitur„. Si porro ab eiusmodi theoria mentem nostram voluntarie procul amovemus, imo ad cupiditates passionesque convertimus, profecto eo ipso voluntarie occludimus intellectualem nostrum intuitum eique inhibemus coecitatem, quae est discessio a deo, discessio autem a deo est orbatio a lumine, et in hoc consistit peccatum, quod est privatio, non essentia, quae privatio nequaquam substitisset nisi oculum intellectualem occludens a consideratione insita naturae amovissem.

Ast subiungis : necesse erat ut tales fuissemus qui nequissemus deflectere in malum, seu qui nullatenus peccato obnoxii essemus.

Equidem haud alius mihi videris quam ille qui vellet ut vice hominis lapis vel lignum esset, qui scilicet creaturae voluntate praeditae atque rationali praefert creaturam sensu destitutam, quae capax non est ut concitetur ad peccatum : lapis siquidem et lignum et alia eiusmodi nullatenus sunt obnoxia peccato. Creaturas autem rationabiles ideo fecit Deus ut ex eius bonitate reciperent. Quoniam vero ipse est essentialiter sapientia, iustitia et lux, nos quoque, per motum intellectualem quo ad eum elevamur, ex eius scientia recipimus et eiusdem scientiae luce illustrati possumus iusti et boni esse et resplendere scientia ad coelestia percipienda quantum fieri potest.

Hanc ob rem ipsi sapientes externi hanc esse philosophiae definitionem docuerunt.

(Philosophorum). "Philosophia est assimilatio qua quis assimilatur quantum fieri potest bono qui est ipso praestantior„. Non aliunde sane talem illi definitionem desumpserunt, quam ex iis quae vera sapientia nostra docet, hominem nempe ad imaginem et similitudinem Dei factum fuisse cum per exercitationes virtutum idoneus fit ut imaginem et similitudinem Dei in se suscipiat. Praecipua autem imaginis Dei significatio consistit in libero sui

arbitrio. Si enim non a voluntate nostra sed a necessitate recti fuissemus, maximopere a similitudine exinde defecissemus prototypi, ac imago praesertim Dei in nobis quodammodo mutilis esset. Quapropter nobis demandata fuit cura nosmet regendi, atque, ad id praestandum, accepimus facultatem congruam vimque prorsus sufficientem, ne laberemur in aliquid ex iis quae constituunt peccatum. Id autem evidenter conspicitur in iis qui virtutem recte operantur. Nisi enim huic animali rationali inesset facultas idonea ad recte operandum, nemo unquam ex iis qui indesinentem operam navarunt disciplinis, recte adeptus fuisset virtutem. Cum ergo conspiciuntur recte operantes, concludendum est negligentiam haud recte operantium culpam esse iis ipsis iure adscribendum, minime vero Deo creatori, propterea quod minime recte operati sint cum id poterant.

Ast dicunt : Minime congruum erat ut anima subiugaretur huic corpori, ne ex inclinatione corporis in peccatum hoc sequeretur.

Sed, nequaquam haec est causa peccandi, quin imo ideo peccamus quia male arbitrium nostrum dirigimus. Siquidem nobilium angelorum natura cum exempta prorsus sit a quovis ligamine corporali nihilominus satanas, qui iam antea cum stellis lucis numerabatur, delapsus est, ex eo quod concupierit quae ipso excelsiora erant, neque ordinem ipsi a Deo sancitum servavit; quare de eodem satana nec non de iis qui eadem defectione cum ipso infecti fuerunt ait sacra Scriptura in quodam loco "Angelos vero, qui non servarunt suum principatum sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservat„ (Iud. 6). Reservantur autem utpote qui lapsi sunt in illum ignem finalem, et in vincula aeterna in caligine. Illud enim "reservat„ respicit tempus futurum, sicuti et Petrus scribit : "Coeli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem iudicii et perditionis impiorum hominum„ (II Petr. III, 7). Idcirco Dominus quoque in evangelio, alludens ad diem iudicii, apparet dicens : "ite maledicti in ignem aeternum reservatum diabolo et angelis eius„.

Porro isti quos vocamus quoque daemones non iam fuerunt naturae

malae ita creatae a Deo qui omnia fecit bene, sed quia voluntarie seu ex propria voluntate post malam voluntatem processerunt uti Dei verbum ostendit. Qua de causa et voluntarie conceperunt invidiam contra nos et bellum movendum. Profligantur tamen cum Deus opem fert nobis cum eis certamen ineuntibus, atque exhinc cum vincuntur, ipsorum confringitur arrogantia elatioque spiritus, nosque eximie probati habebimur per victoriam de iis relatam.

Ne quis porro criminetur quod corpus et anima simul exoriantur. Deus enim suae sapientiae ut ita dicam abundantiam manifestare volens, hominem fecit imaginem dignam admiratione, retionalem et sensibilem, eundemque constituit in medio creaturae visibilis atque invisibilis. Intellectu enim accedit ad eos qui supra sunt, corpore autem ad ea quae infra sunt, atque cultu virtutum ad eos qui supra sunt transfertur.

Ex ratione itaque vivendi eorum qui instificati sunt contempla sapientiam bonitatemque Dei : ast cave ne plurimorum negligentiam vertas in criminationem creatoris. Neque propter illos qui erant peccaturi ac futuri ut ex propria incogitantia procul a Deo deciderent, congruentius erat ut neque illi qui iustificati sunt prodirent ad existentiam. Per utrosque enim apparet bonitas creatoris, qui cunctos pari ratione creavit, non iam istos ex una natura, illos vero ex alia diversa. Ita dantur plurimi quibus initio inerat sane voluntas mala, quique se macularunt cupiditatibus, postea vero sese convertentes virtutem excoluerunt; danturque alii modo inverso. Iamvero per utramque diversam vivendi rationem ostenderunt minime causam malorum esse Deum. Namque si, iuxta perimpiorum Manichaeorum sententiam, diceretur corpus coacte impelli ad peccatum, nemo profecto ex iis qui vinculo carnis devinciuntur iustitiam fuisset operatus. Et quo pacto factum est ut Iosue filius Nun lingua equidem carnali, edito iussu ad coeli luminaria, fecerit sistere cursum lunae et solis eum in finem ut referretur de inimicis victoria, neque illam interciperet nox ? Praetermitto sub silentio alios huic similes virtute praeclaros viros qui commemorantur tum in veteri tum in novo testamento.

Cum hisce itaque eruditi dictis credideritis in unum Deum omnipotentem qui est in una quidem essentia ac divinitate, ac in tribus vero personis, eia surgite atque convertite vos ad occidentem, abrenunciantes caligini illi Manichaeorum, scilicet satanae qui sese extulit super creatorem suum sibimetque adplicavit verba quae occurrunt apud Isaiam : "super astra ponam solium meum„ (Is. XIV, 13). Et quamvis ille fuerit deiectus, modo per Manichaeorum linguas extollitur ad summum spiritus arrogantiae verticem, vocaturque caligo initio expers et non facta, pugnatque cum deo. Deinde convertite vos orientem versus, vobisque occurrit cum suis radiis Christus qui est sol iustitiae, qui palam declarat "ego sum lux mundi„ (Io. VIII, 12); ipse in se ostendit Patrem revelatque cum se Spiritum sanctum, ipse vos ducit ad aquas vosque lavat lavacro illo quod est totius veteris vitae expurgatio, dirigitque ad vitam novam, obruens fluctibus vetustatem peccati. Vos enim per sepulturam eius cum eo sepelimini, vosque induet iuventutem staturae spiritualis, vosque ita novos ostendet neque amplius veteres.

Haec iam aperte praedixit per Isaiam ostendens magnitudinem bonitatis et doni. Ait enim : "ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, neque peccatorum tuorum amplius recordor„ (Is. XLIII, 25). Probe autem dicit in praecitato textu "propter me„ : quamvis enim sibi proponit dicere "propter vos„, opus est tamen, ut compleat deficientiam nostram, proindeque dicit "propter me„ scilicet gratiam meam facio causam doni. Idcirco enim gratia, quae Deum decet, pro vobis cunctis mortem gustavi et ex mortuis resurrexi, ut vobis talia elargirer. Quamobrem etiam Paulus dicebat: "Non ex operibus iustitiae, quae nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis et renovationem Spiritus sancti„ (Tit. III, 5). Isaias dein propheta cum gloriatur in magnitudine doni inquit : "Exultant pauperes propter Dominum in laetitia : et qui sunt sine spe ex hominibus implentur iucunditate„ (Is. XIXX, 19). Quinam vero sint "pauperes„ et "qui sunt sine spe„, disce a Paulo qui docet : "Eratis in illo tempore sine Christo, alieni a conversatione Israel et hospites testamentorum promissionis spem non

habentes, et sine Deo in hoc mundo, nunc autem in Christo Iesu vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi„ (Ephes. II, 12, 13). His consentanea docet Christus cum per Isaiam ita loquitur : "Et ducam coecos in viam, quam nesciunt, et in semitis quas ignorarunt ambulare eos faciam. Tenebras faciam coram eis lucem, et difficilia plana : haec verba faciam eis, et non derelinquam eos„ (Is. XLIII, 16).

Videtisne redundantiam eiusmodi divitiarum, quae coram vobis ponuntur? Cum eas itaque recipitis illas custodite. Cernitis modo postquam eratis coeci: ne posthac videamini obcoecati caligine peccati. Vocati estis ad vitam rectam: obliviscimini ergo viam tortuosam, atque procul omnino retrahite ab ista passus vestros. Undique vos gratia baptismi munit quasi muro, qui ab inimicis nequaquam expugnatur. Eandem baptismi gratiam praefiguravit Moysis baculus, qui est typus crucis, quique mare rubrum scidit, atque, ut s. Scriptura ait, "aquae iis fuerunt veluti murus a dextera et murus a sinistra eorum„ (Exod. XIV, 22). Ille super aquas baculum typice extendit, nos autem spiritualiter ponimus illum, atque ex petra mea admodum sicca scaturire facit aquas instructionis catecheseos fidei sanae professionis, flumenque Aegyptiacum cultu daemoniaco impietatis Manichaeorum plenum exsiccat, quamvis nequaquam perfecte super illud baculus cadit, sed per argumenta correptoria, eiusque luteos fluctus commutat in sanguinem, ne quis ex iis bibere adhuc valeat.

Fugiamus itaque ab impietate sanguinea et mortifera, praecipue vero fugiant mulieres quae tam facile irretiuntur, curramusque ad Christum qui est fons vitae, cui gloria cum Patre et Spiritu s. in saecula saeculorum. Amen.

Interrogationes monachi Edesseni nomine Patricii
ad sanctum mar Philoxenum directae (1).

Harum interrogationum argumentum versatur adversus passiones animae, de purificatione eiusdem animae, qua ratione quibusve mediis aquiritur, an deceat ut eligamus loca ad pugnam adversus passiones, nec non utrum oporteat ut omnia Christi praescripta opere adimpleamus. Porro Philoxenus reprehendit illarum auctorem, demonstrans haud ordinate eundem interrogasse.

Re quidem probastl, vir sancte, te nos maxime amare, propterea quod ex plurimo quo erga nos amore afficeris oblitus fueris virium nostrarum modi : nostrum potius erat ut te scripto adeuntes interrogaremus atque a te addisceremus . . . . (2) Hinc improbantur quoque cuncta falsa illa scripta dicta "revelationes„ ab haeresiarchis edita, in quibus disseritur de spectris mundi, de firmamenti mansionibus regionibusque, de variis coelis, de locis distinctis naturarum, de speciebus variis virtutum excelsarum. Haec sane omnia hallucinationes sunt mentis concitatae a passionibus impulsu daemonum. Paulus enim uno dicto occludit aditum cunctis visionibus spiritualibus hisce verbis : "Nequit fieri ut (visiones) appareant aut ut de iis verbum fiat in terra corporeorum, neque mens illas attingere valet, et, si valeret, id ipsi non licet (3)„. Quare cum tua religiositas harum meminit, caveas, quaeso, a visionibus, propterea quod eiusmodi bellum praevalet praesertim apud solitarios.

---

(1) Codex Vaticanus praefixum habet hunc titulum : Ad interrogationes directas per epistolam ad mar Philoxenum a viro recluso nomine Patricio Edesseno. Philoxenus autem auctor huius tractatus responsionis est ille Mabbugensis episcopus acerrimus oppugnator s. syn. Chalcedonensis, qui periit an. 518.

(2) Versus finem tractatus sic concludit.

(3) Videtur alludere ad 1 Cor. II, 7.

Vir quidam nomine Adelphus (1), qui aliquando in urbe Edessa haereseos (2) Messalianorum (ܡܨܠܝܢܐ) auctor exstitit, clarebat ibidem mirabilibus vitae solitariae agendae modis operibusque arduis asceseos. Breve per tempus discipulus fuerat, uti narratur, Iuliani quem appellant Sabam (3), profectusque erat cum eo in montem Sinai ac in Egyptum, ubi visit praeclaros patres, qui tunc ibidem degebant, beatumque magnum Antonium. Ipsos audivit mystice loquentes de intellectus purificatione, de animarum liberatione, deque aliis subtilioribus quaestionibus adversus passiones : mos enim erat illorum patrum sermonem habere eiusmodi de argumentis, eaque explanare. Ad iisdem praeterea didicit intellectum post purificationem suscipere visiones, animamque posse ex Dei gratia dignam fieri impassibilitate, ita ut, exutis quibusvis veteribus passionibus, in suae naturae pristina incolumitate consistat verseturque durante etiam hac vita quasi in regno Dei. Audiens itaque Adelphus talem sermonem spiritualem, nempe animam posse, dum corpus informat, primae suae naturae statum suscipere, illum ipse, cum adhuc esset puer, appetivit, prouti solent

---

(1) In codice vaticano ubique pro Adelpho Edesseno ponitur ܡܠܦܛ Malpat per errorem loco ܠܡܦܛ Lampetii atque hic dicitur inventor haereseos Messalianorum. Iamvero iste Lampetius, qui erat Cappadox, perhibetur auctor haereseos dictae Lampetianorum. Cf. Theod. bar Khuni apud Pognon Inscriptions mandaites append. II p. 141.

Praeterea ex textu nostro evincitur Adelphum tantum fuisse praecipuum auctorem in urbe Edessa haereseos Messalianorum, cui ibidem adhaeserunt deinceps plurimi alii solitarii. Ex Theodoreto autem (hist. eccles. l. IV c. X), quem sequitur Theodorus bar Khuni in op. cit. p. 139 dicuntur auctores eiusdem haereseos Dades, Saba, Adelphus, Hermas et Simeon.

(2) Messaliani ex voce syriaca ܡܨܠܝܢܐ videlicet qui continuis vacant orationibus.

Porro ex Theodoreto hoc. cit. eiusmodi haeresis exorta est sub Valentiniano I° et Valente Imperatoribus.

(3) S. Ephraem in hym. quos edidit in laudem s. Iuliani Sabae alludit ad iter ab eodem initum ad visitandum montem Sinai.

homines appetere ea quae ipsis maiora sunt.

Porro Adelphus exinde rediens illuc, i. e. Edessam, locum ad solitariam vitam degendam sibi elegit, seseque totum tradidit disciplinis arctis durisque asceseos, vacabatque continuis orationibus. Maxime autem flagrabat passione inanis gloriae, cum ipsius expectatio eo tenderet, ut, ad instar sermonis quem audivit, intellectus purificatus susciperet visiones, et hunc in finem properabat.

Attamen in excolenda ascesi non satis didicit artem adversus hostes, neque horum dolos in certamine spirituali perspectos habuit : sed tantum nitebatur in vitae exinanitionis asceseosque disciplinis vexationibusque, quin simul cum eis acquirendis humilitati atque sui abnegationi vacaret, neque animo teneret illud scriptum "Cum observaveritis omnia praecepta, reputate vosmet servos inutiles„ (Luc. XVII, 10). Summa suimet fiducia fretus ardebat magnarum rerum aviditate.

Contigit autem ut transacto multo tempore in eiusmodi exercitationibus, satanas, comperiens eundem verae scientia asceseos vacuum, adfuerit ipsique comparuerit sub specie lucis inquiens : "Ego sum paracletus a Christo ad te in mercedem tuorum operum missus, ut visionibus quas appetiisti te reddam dignum, tibique dem impassibilitatem quietemque a laboribus„. Una autem pro his postulabat ut ipsum is adoraret. Cum vero stultus ille nequaquam in eiusmodi certaminis arte esset peritus, neque satis edoctus ut sicut commemoratus superius ille solitarius et is repeteret "Nolo, scilicet, hic intueri Christum, sed oro ut eum in ipsius mundo intuear„ : tunc enim ex eius oculis, uti ex oculis praedicti sancti solitarii, evanuisset daemon ille deceptor. Ast aviditate inanis gloriae rerum magnarum is motus extemplo procidens eum adoravit, quo comprobavit se credidisse paracletum ad se advenisse.

